SCOTVS SCRIPTVRALIS

IN QVO OMNES AVCTORITATES EX S.SCRIPTVRA decerptæ, quæ in quatuor libris Sententiarum, & Quolibetis adnotantur, ordinatè, exactèque iuxta Doctoris vel ſenſum, vel relatum, habentur.

OPVS

Omnibus, qui Scoti doctrinam profitentur in Cathedris, aut in Suggeſtis, valde vtile.

EDITVM

A FR. BONAVENTVRA THEVLO VELITERNO Ord. Min. S. Franciſci Conu. Doctore Theologo, S. Congreg. Indicis Conſultore, nunc Myrenſi Archiepiſcopo.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

D. NICOLAVM CARD. LVDOVISIVM

S. MATRIS, AC VNIVERSALIS ECCLESIAE MAIOREM POENITENTIARIVM.



VELITRIS, Per Franciſcum Monetam. MDCLXIV.

Superiorum permiſſu.

Ad usum Fr. Francisci a [illegible] Conc. Capuccini & Applicatus Bibliothecae Conventus Capuccinorum [illegible] D. A. R. P. Prov.lis Licentia. anno 1682. 268

EMINENTISSIME,

AC REVERENDISSIME

ECCLESIAE PRINCEPS.

EN Scotus Scripturalis è vastissimo scholasticarum questionum pelago exurgit, tuoque humanissimo conspectui se, mea manu, constituit, teque protegente (qui Auorum tuorum dotibus in te congenitis refertus, ac beatissimi alterius Nicolai, Fidei defensoris, Pacis satoris, Purpuræ splendoris, & Romanæ Ecclesiæ Propugnatoris, Auunculi tui, virtutibus, & gradibus decoratus, redimitus effulges) per hominum ora iterum circumferri arbitratur. Nicolaus enim tuus, Sanctissimi Antistitis Myrensis imitator, ac eius nomen, & dignitatem assequutus, necnon gesta, & merita est operatus, Bernardinum Senensem

ſem Franciſci Seraphici filium, Sanctitate micantem, vultu charitate conſperſo, ſuſcepit, & ad Diuini verbi euulgationem admiſit. Sic EMINENTISSIME PRINCEPS, tanti Præſulis ſanguine, moribus, muneribus, & dignitate cum nomine nitens, eiuſdem, tanquam hæres veſtigia ſequens, alterum D. Franciſci filium, Doctrinarum ſublimitate, & ſubtilitate ſplendentem, Scotum, inquam Scripturalem, non Philoſophorum argumentis diſputantem, ſed in paginis ſacræ Scripturæ auctoritatibus alloquentem, excipere ne dedigneris. Hoc tua præſingularis pietas pollicetur, hoc Scotus expectat, hoc ego humillimus ſeruus pronuncio; nam tua purpurata generoſitate ſuffultus Subtilium Princeps, & Doctor per omnia Orbis ſpatia vagabitur. Interim pro tanti Principis, & Patroni incolumitate ad præpotentem Deum effundo preces, & profundiſſimè prouolutus ſacræ Purpuræ oram deoſculor. Dat. Romæ die 26. Iulij 1655.

E. T. Reuerendiſſ.

Humillimus, & obſequentiſſimus ſeruus
Fr. Bonauentura Theulus Veliternus.

AD

AD LECTOREM.

SGOTVM SCRIPTVRALEM *tanti Principis patrocinio munitum luci nunc offero*, AMICE LECTOR, *ex quo sacrorum Bibliorum auctoritates ordine conscriptas inspicere valebis, quibus vel Scripturæ expositionem intelligas, vel eiusdem non modo Patrum auctoritatibus, diuinam Theologiam Scholasticam firmatam per Scotum agnoscas. Subtilium Principem, nonnulla Scripturalia edidisse opera, ob ingenij sublimitatem, tanto Doctori concedendum non dubito; sicut etiam Auctorum placito testatum habetur, illa tamen perscrutari nolui, libros Sententiarum dumtaxat, & Quolibeta percurrendo. Hæc enim sunt Doctoris Opera, quæ omnino prorsus suspicione semota existimantur à cunctis. Si Auctoritates aliquo modo in vocibus variatas inspexeris, vel sensum illarum perpendas (precor) Doctorem accepisse, vel relatas adnotasse, vel Scriptorum, seu Impressorum incuriæ ascribas, ad quos etiam locorum errata referre velis. Omnes, non minima vsus diligentia, sententias rectè, vt potui rescriptas, procul dubio reperies. Si quid ex hoc meo minimi momenti labore boni videris, Deo Omnipotenti reddas gratias, & Scoti perspicaciam extollas; sin minus, ingenij mei abortiuum fœtum excuses: tantummodo enim mendis Scotum eripere mihi cordi fuit. Dies tibi, mihique exopto, quos sua pietate concedat Altissimus, quoniam labores prosequi non desistam. Ad Dei laudem.*

APPRO-

APPROBATIO

ADM. REV. P. MAG. ANGELI PETRICCAE DE SOMNENO.

Almæ Romanæ Prouinciæ Definitoris perpetui, & in Patriarchatu Constantinopolitano olim Vicarij Generalis, & Prouinciæ Hungariæ Prouincialis Ministri.

EX commissione Reuerendissimi Patris Ministri Generalis totius nostri Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci Opus examinaui, cui titulus *Scotus Scripturalis*, ab Adm. Reu. P. Mag. Bonauentura Theulo Veliterno, eiusdem Ordinis, & Sacræ Congregationis Indicis Consultore dispositum, & cum in eo nihil, quod aut sanctę fidei, aut bonis moribus aduersum sit, compererim, vt typis mandetur, dignum existimo. Romæ die 18. Iunij 1655.

Fr. Angelus Petricca d Somneno eiusd. Ord. S. Theologiæ Mag.

Loco ✝ Signi.

APPROBATIO

ADM. REV. PATRIS MAGISTRI PETRI FELICIS PAVONI DE TOLENTINO

Romę in Conuentu SS. Duodecim Apostolorum Lectoris sacrorum Canonum.

EGo infrascriptus ex commissione Reuerendiss. P. Mag Felicis Gabriellij de Asculo totius nostri Ordinis Min. S. Francisci Conuent. Ministri Generalis, necnon Sanctiss. D. N. in Sac. Rit. Congre-

Congregatione Consultoris, Opus intitulatum, *Scotus Scripturalis*, ab Adm. Reu. P. Magistro Bonauentura Theulo nostri Ordinis concinnatum, summa cum voluptate animi perlegi, in quo, nedum quicquam contra Ecclesiæ, & Orthodoxæ fidei nostræ sanctiones, dogmata, bonos mores, & instituta dissonum reperi, sed præclara quæque, ac eximia ex catholico Subtilissimi Doctoris Hortulo fideliter excerpta, purum zelum in charitate Christi suauiter redolentia, secura, & approbata Doctrina, eruditissimo, Viroque religiosissimo digna. Quare censeo illud prælo dignissimum, ac omnium Religiosorum, Præconumque Verbi Dei manibus terendum. In fidem &c. Dat. &c. Romæ die 29. Iunij 1655. Loco † signi.

Fr. Petrus Felix Pauonus Tolentinas Sac. Theolog. Mag. in Basil. SS. Duodecim Apost. de Vrbe Lect. Canonum.

APPROBATIO

ADM. R. P. MAG. ANTONII PICCOLI DE VENVSIO Theologi Eminentissimi Cardinalis Ludouisij, & ad Concursus apud Eminentiss. D. Card. Ginettum S. D. N. Papæ Vicarium in Vrbe Examinatoris.

EX commissione Reuerendissimi Patris Generalis, Ego infrascriptus vidi *Scotum Scripturalem* ab Adm. Reu. P. Mag Bonauentura Theulo Veliterno Sac. Congregationis Indicis Consultore collectum, Opus nouum, sententiarum varietate, & breuitate delectabile, in quo apparet, quanta fuerit nostri Doctoris cum ingenij perspicacitate stabilitas, in exponendis quibusdam Scripturæ locis ad Theologicam veritatem ostendendam; hinc eiusdem Doctrinæ callentibus, cùm sit Theologicæ notitiæ valde memoratiuum, censeo, & opto quamprimum typis detur. Romæ Die 23. Iulij 1655. *Fr. Antonius de Venusio Doctor Theologus.*

Locus † signi.

APPRO-

APPROBATIO,

REVERENDISSIMI P. MINISTRI GENERALIS ORDINIS.

FR. FELIX GABRIELLIVS DE ASCVLO, Art. & Sac. Theologiæ Doctor Vniuersi Ordinis Minor. S.Francisci Conu.Minister Generalis,ac in Sac.Rit. Congregat. Sanctiss. D.N.Papæ Consultor.

OPVS, cui titulus, Scotus Scripturalis, *à Patre Magistro Bonauentura Theulo Veliterno elaboratum, ac nostra auctoritate à tribus nostri Ordinis Theologis reuisum, cum eorumdem testimonio, nihil Catholicæ Fidei aduersum, nec Christianis moribus dissonum admittat, sed potius Scoticæ Disciplinæ studiosis perutile existimetur, hinc luce dignum iudicamus, ac proinde, seruatis seruandis, vt typis mandari possit (quanium in nobis est) facultatem concedimus. In fidem &c. Dat. Cesenæ die 28. Iulij 1655.*

Fr.Felix Gabriellius de Asculo Minister Generalis.

Locus † signi.

Fr.Bernardinus Sacchius à Fabriano Secretarius Ord. & Assistens Generalis, ac Prou. Daniæ &c.

Imprimatur, si videbitur Adm. Reu Canonico Deputato, hac die 23. *Iunij* 1664. Hercules Monann.Vic. Generalis.

Imprimatur.

Leonardus de Paulis Canonicus Veliternus Reuerendiss. Patris Mag. Sac. Pal. Apost. Vicarius Deputatus.

Dat. Velitris hac die 17. *Iulij* 1664.

Imprimatur Velitris.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Mag.

SCO-

SCOTVS SCRIPTVRALIS

PRO SACRAE PAGINAE STVDIOSIS

AVCTORE

FR. BONAVENTVRA THEVLO VELITERNO.

Int. A QVO sacra Scriptura condita est, & explicata? *Resp.* A Spiritu sancto dictante condita est Scriptura sacra, à Sanctis tamen Patribus, & doctis Viris autenticis, ac summæ perfectionis, conscripta, & tradita est nobis. Supponendum est enim, quod Ecclesia, eo Spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta, *Scot. Prolog. Sent. quaest.2. lit.B. & 4. sent. dist. 11. qu. 3. lit. G.*

Int. In quot partes diuiditur sacra Scriptura? *Resp.* diuiditur in duas partes, videlicet in Testamentum vetus, & in Testamentum nouum, *Scot. Prolog. sent. quaest. 1. lit. an. A.*

Int. Ex quo loco in Scriptura sacra habetur hæc diuisio? *Resp.* Habetur ex Baruch cap. 3. Nam, vt suo loco dicemus, per illa verba. *Tradidit eum Iacob puero suo, et Israel dilecto suo,* exprimitur Testamentum vetus, & per ista, *Post hæc in terris visus est, et* Baruch.

 cum

cum hominibus conuersatus est, ostenditur Testamentum nouum. *Scotus ibidem.*

Int. Quot sunt sensus sacræ Scripturæ? *Resp.* Quatuor sunt sensus, Historialis scilicet, siue literalis, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus. *Scot. Prol. Sent. q.3.l. an A. & 3. Sent. dist. 25. q. 1. lit. K.*

Int. Qui fuerunt Scriptores sacræ Scripturæ? *Resp.* Fuerunt pauci viri summæ sanctitatis, & veraces, per quos, ac etiam per se ipsum Deus loquutus est sacrā Scripturam eminentissimæ veritatis, quam nobis dederunt. *Scot. Prol. Sent. qu. 2. lit. B.*

Int. Qui libri sacrę Scripturę habendi sunt pro autenticis? *Resp.* Illos esse autenticos libros, quos determinauit habendos Ecclesia Catholica in Canone Bibliç, quia, vt dicit D. Augustinus lib. cont. Epist. Fundam. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoneret auctoritas. Scot. 1. Sent. dist. 5. qu. 1. lit. G.* Augustinus.

Int. Vtrum Scriptores sacri Canonis potuissent mentiri? *Resp.* negatiuè, quia huiusmodi Scriptores damnarunt mendacium, ergo non sunt mentiti, neque mentiri potuerunt. Neque propter lucrum, quia ad credendum inducebāt homines per tribulationes, quas ipsi maximas sustinuerunt; & licèt potuerint errare, vt homines, non tamen potuerunt errare, vt Scriptores sacræ Scripturæ. *Scot. Prol. Sent. qu. 2. lit. B. & 4. Sent. dist. 3. qu. 4. litt. L.*

Int. Fuit ne sacra Scriptura in lege Naturæ? *Resp.* Negatiuè, quia lex Naturæ paucioribus contenta fuit, quæ memorialiter ad filios per Patres deuenerunt. Illi etiam homines magis erant prædit in naturalibus, & ideo modica doctrina inspirata potuit sufficere. *Scot. Prol. Sent. qu. 2. lit. E.*

Int. Vtrum in sacra Scriptura sint aliqua superflua? *Resp.* Negatiuè, licèt enim Cœremoniæ videantur superfluæ, nihilominus non sunt, quia erant figuræ multorum, quæ sunt in nouo Testamento. Et dulciùs capitur, quod latet sub aliqua sententia literali, quam si esset expresè dictum; & ideò deuotionem confert, illa, quæ expressè sunt in nouo Testamento,

sub

ſub figura cælata fuiſſe in Teſtamento veteri. *Scot. ibid. lit. E.*

Int. Vtrum in ſacra Scriptura ſit aliqua diſcordia? *Reſp.* negatiuè, nam Ezechiel prophetauit in Babilone, eo tempore, quo Hieremias prophetauit in Iudæa, poterant diſcordare, ſaltem in illis, quæ tradiderunt, præter ea, quæ habuerunt à Moyſe, quæ non erant euidentia ex terminis, & tamen concordes fuerunt in omnibus, & hoc Deo dante, qui eis fuit communis Doctor ſupra intellectum humanum. *Scot. Prol. Sent. qu. 2. lit. A.*

Int. Vtrum in ſacra Scriptura exprimantur omnes veritates neceſſariæ? *Reſp.* negatiuè. Non omnes veritates neceſſariæ exprimuntur, quamuis in Scriptura omnes virtualiter contineantur; & ideo ad inueſtigationem talium veritatum vtilis eſt labor Expoſitorum, & Doctorum diligentia, quia nulla ſcientia omnia ſcienda explicauit, ſed illa, ex quibus poſſunt ſufficienter elici. *Scot. ibid. lit. E.*

Int. Vtrum omnia, quæ ſunt in Teſtamento nouo, exprimantur à veteri? *Reſp.* Quod quæcunque ſunt in Teſtamento nouo abſtrahi poſſunt à Teſtamento veteri, in aliquo ſenſu, ex præallegatis, ſcilicet Allegorico, Tropologico, Anagogico, vel literali. *Scot. 3. Sent. diſt. 25. qu. 1. lit. K.*

Int. Vtrum tota Scriptura ſacra ab omnibus acceptetur? *Reſp.* negatiuè, quidam enim negant totam Scripturam, ſicut ſunt Nicolaitæ, Valentini, & alij plurimi; quidam negant Teſtamentum vetus, vt Manichæi dicentes vetus Teſtamentum eſſe à malo principio. Quidam negant Teſtamentum nouum, & recipiunt vetus, vt ſunt Hebræi; Quidam recipiunt partem aliquam vtriuſque Teſtamenti, vt Mahumetani; Quidam aliqua dicta Teſtamenti noui recipiũt, aliqua reſpuunt, vel ſiniſtrè intelligunt, vel exponũt, vt hæretici. Chriſtiani tantum Catholici vtrumque Teſtamentum humiliter ſuſcipiunt. *Scot. Prol. Sent. qu. 2. lit. A.*

Nunc ad sacræ Scripturæ Textum.

EX GENESIS LIBRO.

I. Genes. 1 IN *principio creauit Deus cælum, & terram, &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum Deum posse aliquid creare: Nam si de facto creauit, concluditur etiam de posse. *Scot. 2. Sent. dist. 1. qu. 2. lit. ant. A.*

Iterum affertur hæc auctoritas ad probandam Dei omnipotentiam, scilicet, quod ipse possit, sine quocumque alio agente, creare, seu causare quodlibet causabile. *Scot. Quolib. quæst. 7. lit. M.*

Cap. 1. 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Intelligitur ista auctoritas, non quod finis principalior luminarium sit, quod sint in dies, & annos, sed quod sit finis sub fine pro tempore vitę mortalis hominum indigentium tali distinctione temporum. *Scot. 4. Sent. dist. 48. q. 2. lit. a. A. N.*

Cap. 1. 17. *Et posuit eas in firmamento cæli*, loquendo de stellis. In hac auctoritate firmamentum non accipitur pro orbe determinato vno, in quo omnes stellæ repetiantur, sed sumitur pro toto cælo, & omnibus orbibus, qui reperiuntur inter cælum empireum, & elementa. *Scot. 2. Sent. dist. 14. qu. 2. lit. a. A.*

Cap. 1. 22. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Affertur hæc auctoritas ad probandum in argumentis, quod in statu innocentiæ, quælibet persona fuisset alteri coniuncta propter obseruantiam huiusmodi præcepti, & sic fuissent tot fœminæ, quot mares. Ex qua occasione dicit Doctor, quod potuisset esse maior numerus fœminarum, & mulierum, quàm virorum, quia maritus diutiùs vixisset, & vna mortua, seu translata, aliam vxorem ducere potuisset. *Scot. 2. Sent. dist. 20. qu. 2. lit. a. A. C.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod in statu innocentiæ potuit esse vsus cognoscendi suam vxorem, obediendo tali præcepto, absque delectationibus

nibus illicitis in appetitu sensitiuo. *Scot.2.Sent. dist. 29. qu.vn.lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probãdum procreationem prolis esse actum rectè circumstantionabilem, quia cadit sub isto Præcepto, *Crescite, et multiplicamini*; de illicito non datur præceptum. *Scot.4.Sent. dist.26. qu.vn. lit. B. Q. S.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, in primo gradu fuisse matrimonium, quod intelligitur in linea transuersali, non in recta, hoc enim fuit necessarium in principio humani generis, & ex tali præcepto, Cain vxorem duxit sororem suam. *Scot. 4. Sent.dist.40. q.vn.lit.a.A.*

Formauit Deus hominem de limo terræ, et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod Deus creauit animam rationalem in corpore iam formato. *Scot.2.Sent.dist.17.q.1.l.a.A.* Cap.2.7.

Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in Paradiso voluptatis. Affertur hæc auctoritas ad probandum Paradisi locum esse conuenientem habitationi humanæ. *Scot.2. Sent.dist.17.q.2.lit.a.A.* Cap.2.15.

Ex omni ligno Paradisi comede. Affertur ista auctoritas ad probandum, quod corpus humanũ in statu innocentiæ fuisset nutribile, & per consequens corruptibile, quia omne nutribile habet partes fluentes, quæ indigent restauratione, vsque ad ætatem debitam, quæ quidem restauratio non fit sine deperditione, vel debilitatione humidi radicalis, & caloris naturalis. *Scot.2. Sẽ. dist.19. qu.vn.lit.a. A.C.* Cap.2.16.

In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod, stante statu innocentię, non fuisset mors, quia cum mors sit pœna, non poterat esse sine culpa; Doctor tamen sentit, quod fuerit homo mortalis in illo statu, ob causas naturales, sed non actualiter, quia quilibet eiusdem status fuisset translatus in Paradisum, antequam fuisset alteratus alteratione improportionata animæ, siue formę; quæ trãslatio non fuisset miraculosa, sed iuxta, & regularis; at post peccatum primi parentis habuerunt necessitatem moriendi ex culpa. *Scot.2.Sent.dist.19.q.vn.lit.A. B. et 3.* Cap.2.17.

et 3. *sent. dist.* 16. *qu.* 1. *lit. a. A. E.*

Cap. 2. 21. 22. *Tulit vnam de costis eius, et repleuit carnem pro ea, et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod in resurrectione non resurget totum, quod fuit de veritate humanæ naturæ in eo, scilicet Adam, hinc Doctor dicit, quod illa costa non fuit de veritate naturæ in Adam, quia præter illam, habuit costas sufficientes, secundum quod communiter competunt homini. Illa enim costa fuit sibi data tãquam superflua quoad suppositum, sed necessaria quoad intentionem naturæ, sicut se habet semen in masculo. *Scot. 4. sent. dist. 44. q. 1. l. a. A. Q.*

Cap. 2. 23. 24. *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea etc. Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhærebit vxori suæ.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum Sacramentum matrimonij non esse institutum à Deo: Sed Doctor dicit illa verba fuisse prolata ab Adam, non vt institutor, sed vt Preco diuinę institutionis, quod probatum est per verba Christi, Matth. c. 19. *qui fecit masculum, et fœminam etc. Scot. 4. Sentent. dist. 26. qu. vn. l. a. A. S.*

Cap. 2. 24. *Adhærebit vxori suæ.* Repetitur hæc auctoritas ad ostendendum non Adam, sed Deum coniunxisse marem, & fœminam coniunctione matrimoniali. *Adhærebit vxori suæ*, idest non momentaneè accipiet. *Scot. ibidem lit. H. K. Q.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod matrimonium sit voluntaria coniunctio, quia non adhæret quis illi, quod inuitè tenet. *Scot. 4. Sent. dist. 29. qu. vn. lit. D.*

Cap. 2. 24. *Relinquet homo Patrem suum, et matrem suam, et adhærebit vxori suæ.* Intelligitur hoc verbum, *relinquet*, vt non iungatur eis matrimonialiter, quantum ad copulam coniugalem, quod debet intelligi, non modo de Patre proximo, sed de quocumq. alio in recta linea. *Scot. 4. Sent. dist. 40. qu. 1. lit. a. A. D.*

Cap. 2. 24. *Erunt duo in carne vna.* Affertur hæc auctoritas ad probandam circumstantiam matrimonij, scilicet determinatarum personarum, & vnius cum vna. *Scot. 4. Sent. dist. 26.*

dist.26.q.vn.lit.D.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probãdum Bigamiã esse tollendam. *Scot. 4.Sent. dist.3.qu.1.lit.E.*

Adam vbi es? Affertur ista auctoritas pro probatione, quod in lege naturæ post lapsum erat Confessio, quod Scotus negat; quia illa Confessio erat facienda Deo, non homini, Adam enim non debuit peccatum suum occultasse Deo, quia ipse est Iudex, cui manifestum est omne peccatum, & coram quo quilibet reus debet recognoscere peccatum suum, & sic erat Confessio facienda Deo increpanti. *Scot.4 Sent.dist.17.qu.1.lit.C.* Cap.3.9.

Mulier, quam dedisti mihi sociam. Affertur ista auctoritas ad ostendendum Adam non fecisse confessionem, quam Deus ab ipso requirebat, vt in hoc loco dicit Glossa ordinaria super illa verba *Adam vbi es. Vox est increpantis, et confessionem cogentis, et non ignorantis.* Imo ipse excusauit peccatum suum, retorquendo illud in mulierem. *Scot.ibid.* Cap.3.9.

Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos Affertur ista auctoritas ad ostendendum post lapsum contractum matrimonialem institutum fuisse à Deo, sicut dictum est supra. *Scot.4.sent.dist.26.qu.vn.l.Q.* Cap.3.16.

Sub viri potestate eris. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod saltem post lapsum, natura non permittit mulierem tenere gradum eminentem in specie humana, siquidem dictum est sibi in pœnam peccati sui, *sub viri potestate eris. Scot.4.Sent.dist.26.quæst.2 li.D.* Cap.3.16.

Ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et viuat in æternum. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod in statu innocentiæ homo non fuisset corruptus, quia deperditio paulatiua fuisset restaurata per esum fructus ligni vitæ. Attamen Doctor dicit, quod non fuisset totaliter restaurata, imo debilitata per reactionem, quia agens in agendo repatitur; & sic fuisset corruptus homo, sed anteaquam mortuus esset, fuisset translatus in Paradisum, vt dictum est. *Scot.2.Sent. dist.19. qu.vn.l.A.B.* Cap.3.22.

Respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius, ad Caim verò, et ad munera illius non respexit. Affertur ista auctoritas pro argumento, quò probatur, quod accepta- Cap.4.4.5.

tio

tio essentiæ sufficit ad acceptationem potentiæ. Doctor verò ex hac auctoritate elicit, quod actus exterior non acceptatur, nisi quia acceptatur actus interior, nec interior acceptatur, nisi quia acceptatur illa potentia, cuius est actus, siue elicitus, siue imperatus, nec ad acceptationem potentiæ prærequiritur acceptatio alicuius prioris, quia nihil est prius acceptabile, acceptatione speciali, nisi mediante illa potentia accepta. *Scot. 2. Sent. dist. 26. qu. vn. lit. A. G.*

Iterum affertur ista auctoritas ad ostendendum, quod persona merens, vt actio eius meritoria acceptetur, requiritur, vt ipsa Deo accepta sit, quia illius personæ actus non acceptatur, vt dignus pręmio, nisi persona operans sit accepta, quia non placet oblatio non dilecti. *Scot. Quolibet. qu. 17. lit. D.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod oblatio Ecclesiæ non est accepta, nisi sit offerentis accepti, & ideo dicit, *Respexit* prius *ad Abel*, quam ad munera. *Scot. Quolib. qu. 20. lit. O.*

Cap. 4. 13. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod peccatum in Spiritum sanctum est impœnitentia finalis, idest habere propositum de nunquam pœnitendo, & oritur ex desperatione, & ex istis verbis credidit Cain misericordiam Dei non esse maiorem suo delicto, quæ misericordia, quæ est Dei bonitas, Spiritui sancto appropriatur. *Scot. 2. Sent. dist. 43. qu. 1. lit. D.*

Cap. 8. 21. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod homines sequantur inclinationem sensitiuam, non autem legem rationis. *Scot. 2. Sent. dist. 14. qu. 3. lit. I.*

Cap. 8. 22. *Cunctis diebus terræ sementis, et messis, frigus, et æstas, et hyems, nox, et dies, non requiescent.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod tempore Iudicij vniuersalis, vel post, non cessabit motus corporum cælestium; quam auctoritatem Doctor sic glossat. *Cunctis diebus*, quibus vtilis est sementis, & messibus, quod non est, nisi pro vita mortali. Vel *cunctis diebus terræ*, idest cunctis diebus vitæ terrenæ hominis. *Scot. 4. Sent. dist. 48. q. 2. lit. a. A. N.*

Cresci-

Crescite, et multiplicamini, et replete terram. Affertur hęc auctoritas, vt supra, vt ostendatur contra actus matrimonialis esse licitus, & ideo etiam post lapsum, circa hoc datur præceptum, quod non est, nisi propagando, quod præceptũ est affirmatiuum obligans ad semper, non pro semper, sed tempore necessitatis, sicut fuit in initio mundi, & post diluuium. *Scot. 4. sent. dist. 26. qu. vn. lit. B. N.* Cap 9. 1.

Infans octo dierum, circumcidetur etc. Eritque pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum. Affertur ista auctoritas in argumento ad probandum Baptismum non euacuasse Circumcisionem: Nihilominus ait Doctor, *fœdus æternum* debet intelligi, non in se, sed in æquiualente, scilicet in Baptismate, vel fuit *fœdus æternum* inter Deum, & Abraham, & specialiter semen eius, quia nunquam fuit aliud signum specialius inter Deum, & illud genus: Attamen futurum erat aliquod signum fœderis inter Deum, & totum genus humanum; & melius erat semini Abrahæ transire ad illud signum commune; quàm remanere sub signo fœderis specialis; quia melius est partem esse in toto, cui simpliciter bene sit, quàm esse distinctum à cæteris partibus, vt sibi aliqualiter bene sit, & alijs malè. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. a. A. Q.* Cap. 17. 12. 13.

Masculus, cuius caro præputij circumcisa non fuerit, deleatur anima illa de Populo suo. Affertur ista auctoritas ad probandum Deum instituisse in Lege veteri Circumcisionem in remedium contra culpam originalem, quamuis ante Legis scriptæ dationem per 400. annos. *Scot. 4. sent. dist. 1. q. 6. l. A.* Cap. 17. 14.

In Isaac vocabitur tibi semen. Affertur ista auctoritas ad ostendendam diuinam promissionem Abrahæ factam à Deo, quam firmiter credidit, etiam post filij immolationem, si fecisset. *Scot. 3. sent dist. 39. q. vn. l. G.* Cap 21. 12.

Tentauit Deus Abraham. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in Deo reperitur duplex voluntas, signi scilicet, & beneplaciti, & sicut illa, Deus vult multa, ita ista, multa prohibet, & non vult omnia fieri, quæ præcepit; quemadmodum in Abraham voluit voluntate signi immolationem Isaac, at voluntate beneplaciti voluit oppositum, & sic fuit tantum manifestatio diuini præce- Cap. 22. 1.

pti. *Scot. 2. sent. dist. 37. qu. vn. lit. BB.*

Cap. 22. 5. *Ego, et puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum mendacium non esse peccatum, quia Abraham intendebat occidere puerum, & ita non intendebat se cum puero reuersurum; nihilominus non peccauit, quamuis dixerit contra id, quod habebat in mente; Attamen Abraham non sic fecit. Noster Doctor dicit, ita loquutum esse Abraham, quia in via retulit filio, quod ipse fuerat miraculosè conceptus, & qualiter, si esset immolatus; Deus eum miraculosè resuscitaret, quod firmiter creditur expectasse, quia non dubitauit de promissione Dei iam facta. *Scot. 3. sent. dist. 38. q. vn. lit. a. A. G.*

Cap. 24. 8. 53. 58. *Sin autem mulier voluerit sequi te, non teneberis iuramento etc. Vocemus puellam, quæramus ipsius voluntatem: cum vocata veniret, sciscitati sunt, vis ire cum homine isto? quæ ait, vadam.* Hæc auctoritas affertur ad ostendendā liberam voluntatem contrahentis, quæ requiritur in cōtractu matrimoniali, quod est ab Ecclesia expressum. *Scot. 4. sent dist. 29. qu. vn. lit. D.*

Cap. 27, 33. *Expauit Isaac stupore vehementi, et vltra quam credi potest, admirans ait, quis igitur etc. benedixique ei, et erit benedictus.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad quæstionem, Vtrum ad contractum Matrimonij requiratur consensus sequens rationem non erroneam. In tali enim benedictione, dicit Doctor, non fuit consensus sequens rationem erroneam, quia Isaac, postquam audiuit Iacob ab eo benedictum fuisse, fuit raptus in admiratione vehementi, & in ea vidit Iacob esse iustè benedictum, & ita, licèt illam benedictionem primo, ab homine, & humana cautela extortam dedisset, postea tamen in extasi à Spiritu sancto approbatam pronunciauit tanquam firmam, subiungens, *eritque benedictus. Scot. 4. sent. dist. 30. q. 1. lit. E. F.*

Cap. 34. 12. *Augete dotem, et munera postulate.* Affertur ista auctoritas ad ostendendum, quod non semper dos est aliquid realiter personæ, quæ dotatur, quia sponsæ non inest realiter illud, quod datum est à sponso. *Scot. 4. sent. dist. 49. qu. 13. lit. D.*

Explo-

Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ, venistis etc. Cap.42.
Per salutem Pharaonis etc. Affertur hæc auctoritas ad 9.15.
probandum, mendacium non esse peccatum. Attamen hoc mendacium, inquit Doctor, fuit peccatum veniale, quia huiusmodi Ioseph fuit mendacium iocosum, vt facto sequenti patuit. Et potuit Ioseph illis verbis punire fratres suos, propter proditionem, & venditionem; sed vide Scot. Moral. *Scot. 3. sent. dist. 38. qu. vn. lit. a. A. G.*

Non auferetur sceptrum de Iuda, et Dux de femore eius. C.49.10.
Affertur hæc auctoritas, quæ de Christo Domino intelligitur, ad confutandam stultitiam, & duritiam Hebræorum, qui damnant nouum Testamentum, quod in suo veteri promittitur. Nam Christum aduenisse clarum est, hinc nouum Testamentum ab eo promulgatū, tanquam necessarium recipiendum est; insipidæ enim sunt cœremoniæ sine Christo, & ideo fatuè Messiam negant. *Scot. Prolog. sent. q. 2. l. B.*

EXODI.

EGo sum, qui sum. Affertur hæc auctoritas ad proban- 3. Exod.
dum Dei vnitatem, quamuis possit hæc vnitas natura- 14.
li ratione demonstrari. Nam Populus Iudaicus fuit rudis, & pronus ad idolatriam, ideo indiguit instrui per leges de Vnitate Dei. *Scot. 1. sent. dist. 2. q. 3. lit. B.*

Iterum affertur hæc auctoritas ex Augustino 7. lib. de Trinit. cap. 5. ad ostendendum, quod Deus debet dici substantia abusiuè, sed verè, & propriè dicitur essentia. *Est enim verè solus, quia incommutabilis est, idque nomen suum suo famulo Moysi enunciauit, cùm ait: Ego sum, qui sum. Scot. Quol. qu. 1. lit. C.*

Sic dices filijs Israel: qui est misit me ad vos etc. Hoc nomen Cap. 3. 14.
mihi est in æternum. Affertur hæc auctoritas ad proban- 15.
dum Deum aliquo modo posse nominari. *Scot. 1. sent. dist. 22. q. vn. lit. A.*

Iterum affertur hæc auctoritas ex Damasceno 1. lib. de fide Orthodoxa cap. 12. qui ait, *Enim verò videtur principalius omnium de Deo dictorum nominum esse, Qui est. Scot. Quolib. qu. 1. lit. C.*

Sponsus sanguinis tu mihi es. Affertur hęc auctoritas ad Cap. 4. 25.

 proban-

probandum Moysen assumpsisse in vxorem mulierem infidelem, nempe Sephorám, quæ erat filia Iethro, quod in Lege veteri non erat prohibitnm, quia tempore Legis Mosaicę non erat prohibitum coniugiũ cnm alienigenis, nisi cum Cananæis: illos enim voluit Deus ex toto extirpare. *Scot.4. sent.dist.39. qu.vn.lit.a. A.G.*

Cap.6.3. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Affertur hæc auctoritas pro argumento in quæstione, vtrum ante Christi aduentum fuerit fides necessaria de his, quæ modò credimus; & respondetur, quod in Lege veteri non tenebantur credere, simplices, tot credenda explicita sine Doctore, & reuelante, sicut Moyses. Nec fortè Moyses tenebatur, sicut modo tenentur maiores in Ecclesia, quia tot credibilia non erant sibi reuelata. *Scot. 3.sent dist.25. qu.1. lit.a. A.I.*

Cap.7.1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Affertur hæc auctoritas cum glossa, idest, non primò, sed translatiuè, quo modo tantùm conuenit creaturæ hoc nomen *Deus*. Et ideo inter omnia nomina latina, nomen proprium sibi est hoc nomen *Deus*, sicut & proprium sibi in lingua Græca hoc nomen *Theos*. *Scot.1.sent. dist.22. qu.vn. lit. A.*

Cap.16. 15. *Manhù, idest, quid est hoc?* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod, *hoc*, in forma Consecrationis panis demonstrat singulare entis, & non per se singulare alicuius minus vniuersalis, quia in huiusmodi interrogatione, *hoc*, supponitur tantum, vt est singulare entis. *Scot. 4.sent.dist.8. q.2.lit. P.*

Ca.16. 29. & C.20.8. *Maneat vnusquisque apud semetipsum. Memento, vt diem Sabathi sanctifices.* Affertur vtraque auctoritas ad significandum præceptum de sanctificatione Sabathi, quod intelligitur de coniungendo se Deo. *Maneat apud semetipsum*, idest recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum; quod præceptum Ecclesia specificauit quantum ad audiendam in die Dominico Missam. *Scot. 3.sent.dist.27.qu.4.lit.N.*

Cap.16. 29. Iterum eadem auctoritas, *Vt diem Sabbathi sanctifices*, affertur ad ostendendum, quod omnes cœremoniæ tam veteris, quàm nouæ legis, sunt reducendæ ad hoc, vel

ad aliud præceptum Decalogi. Deus enim talibus cæremonijs vult coli, vt Deus, sub quo præcepto omnia alia referantur. *Scot.4.sent.dist.17.qu.1 lit.X.*

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Affertur hęc auctoritas ex Riccardo de Media villa 4. sent dist.21. art.4. q.1. ad probandum, quod sicut tunc Angelus loquens Moysi, verè illa verba dixit in persona Dei, quod tamen negasset in persona propria, sic Sacerdos repræsentans personam Dei in foro Confessionis, verè potest aliquid affirmare, quod extra illũ forum posset verè negare, quando loquitur in persona propria. At Doctor tenet, quod Sacerdos absoluat in persona propria, sed tanquam Dei Minister. *Scot.4.sent. dist.21. q.2.lit.A.* Cap.20. 2.

Non habebis Deos alienos coram me. Affertur ista auctoritas ad ostendendam necessitatem diuinæ adorationis, & ad tollendam idololatriam, & est non solum præceptum negatiuum, sed etiam affirmatiuum primæ tabulæ. *Scot. 7.sent. dist.9.qu.vn.lit.C.* Cap.20. 3.

Non assumes nomen Domini tui in vanum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod iurans falsum per nomen Domini, facit contra præceptum primæ tabulæ, & fit irreuerentia Deo immediatè, vnde, si fiat cum deliberatione, est peccatum mortale. *Scot.3.sent.distinct.29. qu.vn.lit.A.* Cap.20. 7.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Affertur hæc auctoritas ad detestandum periurium, cum quo semper est iniunctum mendacium, & est peccatum mortale, cum fiat ex deliberatione, & hoc prohibetur auctoritate prædicta. *Scot.3.sent.dist.38.qu.vn.lit.C.* Cap.20.16

Iterum affertur ista auctoritas ostendendum, quod in periurio reperiuntur duo, mendacium scilicet tanquam materiale, & assumptio nominis Dei in vanum; hoc est, includit mentiri, & irreuerentiam. *Scot.3.sent. dist.39. qu.vn.lit H.*

Si percusserit alter proximum suum etc. et ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo etc. qui percusserit etc. operas eius, et impensas in medicos restituat. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod damnificans in bonis personæ, & corporis, tenetur restituere. *Scot.4 sen.dist. 15. qu.3.l.a.A.* Cap.21. 18 19.

Si

Cap.22. 16.17. *Si quis seduxerit Virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem: si Pater Virginis dare noluerit, reddat pecuniam iuxta modum dotis, quam Virgines recipere consueuerunt.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod damnificans in bonis corporis, vel animæ tenetur ad restitutionem, scilicet ad restitutionem castitatis coniugalis reddendæ pro ea. *Scot. 4 sent. dist. 15. q. 3. lit. a. A. & dist. 30. qu. 1. l. D.*

Cap.33.20 *Non enim videbit me homo, & viuet.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Deus sit innominabilis, quia Deus non potest intelligi conceptu proprio, idest perfectè, & completè concipi, & hoc conceditur. *Scot. 1. sent. dist. 22. qu. v. l. a. A.*

Iterum affertur hæc auctoritas, ad probandum non posse dari, quod in ista vita mortali homo sit Beatus, nam ex Augustino, tunc per mortem beatitudo posset amitti, quod non est dicendum, sic habetur lib. 13. de Trinit. cap. 8. *Scot. 4. sent. dist. 49. qu. 12 lit. a. A.*

LEVITICI.

21. Leuit. 17.18. QVi *habuerit maculam etc. non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Affertur hæc auctoritas, ad ostendendum, quod quædam pœnæ Canonicæ fundantur super defectus naturales. Non enim voluit Deus quascumque personas defectuosas ministrare in altari. *Scot. 4 sent. dist. 13. qu. 2 lit. post E.*

NVMERI.

19. Nu. 20. SI *quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius, de medio Ecclesiæ.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Hebræi, si obseruabant Sacramenta impropriè dicta, (sicut erat lustratio à morticinijs) ex charitate, merebantur gratiam, vel si eam haberent, gratiæ augumentum. Nam tale præceptum erat necessarium ad salutem, & comminatio illa, *peribit,* nunquam erat, nisi ad designandã transgressionem cum peccato mortali, & dãnatione æterna. *Scot. 4. sent. dist. 1. q. 6. lit. I.*

Si

Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit, & quintadecima die solemnitas. Supple *principalis*, Affertur hæc auctoritas ad probandam opinionem Græcorum circa Paschæ celebrationem, ex qua inferunt Christum in fermentato celebrasse. Nihilominus Christus passus est luna quintadecima, & quartadecima fecit cœnam, & comedit Agnum Paschalem. Quoniam postquam comedit Pascha sequebatur solemnitas, idest primus dies solemnis integer solemnitatis Paschę; antequam præcessit dies primus Azimorum, in quo die solemni Christus passus est, & sic in illa quartadecima, in qua debuit, secundum legem, comedi Agnus Paschalis, quæ erat mensis primi, Discipuli comederunt Agnum verum, nempe carnem Christi, consecratam in azimo pane; & sic nulla est opinio Græcorum. *Scot. 4. sent. dist. 11. qu. 6. lit. A.* Cap. 28. 16.

DEVTERONOMII.

AVdi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Affertur hæc auctoritas ad probandam Dei vnitatē, quamuis, (vt dictum est) possit ratione naturali ostendi, sicut per septem vias probat Doctor; scilicet ex infinito intellectu, ex infinita voluntate, ex infinita bonitate, ex infinita potentia, ex infinito absoluto, ex necesse esse & ex omnipotentia. *Scot. 1. sent. dist. 2. qu. 3. lit. A.* 6. Deut. 4.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandam istam conclusionem, scilicet, Deus non generat alium Deum. *Scot. 1. sent. dist. 4. qu. 1. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod cæremoniæ tam veteris, quàm nouæ legis, reducendæ sunt ad hoc præceptum Decalogi, vel ad aliud præceptū, primæ tabulæ, vt dicemus. *Scot. 4. sent. dist. 17. qu. 1. lit. X.*

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Angelus habeat aliquam naturalem notitiam diuinæ essentiæ, quia aliter frustra præciperetur ei dilectio Dei. Vnde elicitur, quod huiusmodi præceptum omnibus creaturis intellectualibus datum est: quod Cap. 6. 13.

enim

quod enim ignoratur, non diligitur, & ob id conceditur in Angelo notitia abstractiua. *Scot. 2. sent. dist. 3. qu 9. lit. a. A.*

Item affertur eadem auctoritas, ad ostendendum, quod diligere Deum, super omnia est actus conformis rationi naturali rectæ, quæ dictat, optimum esse summè diligendum; hinc tale præceptum est de lege naturæ, sicut etiam naturaliter notum est, talem actum dilectionis esse actum rectum. *Scot. 3. sent. dist. 27. q. vn. lit. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod quamuis possit in via, & pro hoc statu impleri, & intensiuè, & extensiuè, dilectionis præceptum, & maiori affectu, tamen non potest impleri quantum ad omnes illas conditiones adiunctas, quia non potest esse in vita ista tanta recollectio virium, vt amotis impedimentis possit voluntas tanto conatu ferri, quanto posset, si vires essent vnitæ, & non impeditæ, & sic debet intelligi Augustinus lib. de perfectione humanæ iustitiæ, & Magister sent. in tert. dist. 27. dicentes, quod non teneamur hoc nunc adimplere præceptũ, sed quod implebimus. *Scot. ibidem lit. K. L. M.*

Cap. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod præceptum de debito reddendo Deo, est præceptum affirmatiuum, scilicet, vt habeatur vt Deus verus, & vt tanquam Dominus adoretur, sed est cum exclusione adorationis, seu seruitutis exhibendæ alij. *Scot. 3. sent. dist. 9. q. vn. lit. C.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod prædictum præceptum de debito reddendo Deo, semper obligat ad oppositum fugiendum, scilicet, ne insit actus odij; sed obligat pro aliquando ad actum elicitum amoris, & cultus, quod specificauit Ecclesia pro die Dominico ad Missam audiendam. *Scot. 3. sent. dist. 27. qu. vn. lit. N.*

Cap. 16. 20. *Iustè, quod iustum est persequeris*. Affertur ista auctoritas ad ostendendum, quàm malum sit, quando testes iurant falsum contra reum; hinc non deberet puniri talis reus, quamuis conuinceretur reus, quia aliqua mala, quæ non possunt probari, neque sufficienter sciri, cùm non possint puniri ab homine, relinquenda sunt vltioni diuinæ, ali-

aliter, & Testes, & Iudex, sunt culpabiles. *Scot.3.sent. dist.39.qu.vn.lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod negans peccatum priuatum, & in publico impositum, quamuis tunc Respublica impediatur, propter hoc mendacium à punitione iusta; tamen non peccat mortaliter, nec Respublica debet omnia mala punire, sed bene illa, quæ coram Iudice sæculari sufficienter probari possunt. *Scot.4.sent.dist.15 qu.4.l.F.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod nullus potest esse casus, in quo contra charitatem militet silentium Confessionis, imo contra charitatem communem militat oppositum. *Scot.4.sent.dist.21. quæst.2. lit.M.*

Qui autem superbierit nolens obedire Sacedotis imperio, etc. moriatur homo ille. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Hebræi tenebantur ad omnia iudicialia seruanda, & prçsertim, quando discernebantur per Iudices eorum, ac maximè per Sacerdotem Leuitici generis. *Scot.3.sent.dist.40.qu.vn.lit.B.* Cap. 17. 12.

Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animam eius. Affertur hæc auctoritas contra Salomonem, qui tot Reginas, & concubinas habuit, quod fortè Moyses dixit specialiter, spiritu ductus prophetico, ob malitiam illius præuisam, vt si non compesceretur, saltem confunderetur, ne alij etiam eum imitarentur: quæ mulieres inflexerunt animum eius, vt faceret eis idola, & templa ad colendos Deos suos. *Scot.4. sent. dist.39.qu.vn. lit.G.* Cap. 17. 17.

Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribat libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam in domo sua. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod in lege Mosaica fuerit licitum repudiare vxorem. Tamen non videtur hoc Deus præcepisse: Non enim in quatuor prioribus libris reperitur inter diuina Præcepta. Et ideo magis est hoc preceptum imputandum Moysi, quàm Deo, quia laxationes pertinentes ad vitam humanam Deus non ita voluit ponere in Scriptura, tanquam à se prolata, sed si- Cap. 24. 1.

sicut à seruis suis. *Scot.4.sent.dist.33.qu.3.lit.a.A.C.*

Cap.25.2. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod peccatum Adæ fuit grauissimum, quia habuit maximã pœnam, scilicet mortem. Doctor tamen dicit non fuisse pœnam maximam, nisi extensiuè, & huiusmodi pœna non fuit formaliter punitio illius culpæ; hinc dicit, quòd si Adam damnatus fuisset pro illo peccato, non fuisset grauiter punitus pro illo, sicut multi alij. *Scot.2.sent.dist.21.q.2.lit.a.A.H.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod peccato cuilibet actuali mortali correspondet satisfactio propria; sed intelligitur de pœna damnatorum, qui in inferno valde, & propriè commensuratur pœna culpæ: Sed in pœna pœnitentiali non est, neque requiritur tanta pœna, neque tanta commensuratio pœnæ. *Scot.4.sent.dist.15.q.1.lit.a.A.S.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quòd pœna æterna pro culpa temporali non est secundum iustitiam. At est aduertendum, quod si pœna æterna infligitur, non est quia æternitas sit per se de ratione pœnæ, in quantum æqualiter punitiua, sed accidit propter ęternitatem personę punitę, & culpę remanentis; quia persona punita perpetuò manet in culpa. *Scot.4.sent.dist.46.qu.4.lit.a.A.P.Q.*

Cap.32.4. *Dei perfecta sunt opera.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quòd animæ rationales non fuerunt creatę simul cum Angelis, & postea vnitæ ad corpora, quia tunc opera Dei non fuissent perfecta. Anima enim est pars, & imperfecta, dum actu non informat. *Scot.2.sent.dist.17.q.1.lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quòd Deus, quamuis possit dare gratiam sine fide (ponendo, quod sint duo absoluta simpliciter distincta) tamen non infundit paruulo gratiam sine fide, & spe. *Scot.4.sent.dist.4.q.2.lit.A.*

Iterum eadem auctoritas affertur ad probandum, quod alicui existenti in peccato mortali, vel actualiter peccãti, Deus non confert donum suum, quia nullum Deus curat, quem non perfectè curet. Impium est enim à

Deo

Deo imperfectam sperare veniam. Tamen potest dici, quod peccanti Deus confert aliquod donum suum, quia non vult Sacramentum suum, quod verè ab eo suscipitur, esset vacuum, & ideo vult ibi aliquem effectū causare, nō autē vltimum, quia ille indispositus est. Quia, vt dictum est, Deus perfectè curat, idest quando curat, sed tunc non curat, sed disponit, seu pręparat ad curationem; loquitur hic de accipiente Sacramentum in peccato. *Scot.4.sent.dist.6. qu.9.lit. F, M.*

Mea est vltio, & ego retribuam in tempore. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Deus non est auctor mali culpæ, sed tantum mali pœnę: Deus enim est vindex malorum; quod malum culpæ est maius quocumq. alio malo. *Scot.4.sent.dist.46.qu.4.lit.O.* Cap.32. 35.

R E G V M.

H*Omo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod quandoque est culpa aliqua, quæ excedit humanum iudicium, & tunc est reseruanda iudicio diuino, super quæ non potest esse iustum iudicium Reipublicæ. *Scot.4.sent.dist.15.qu.4.lit.F.* 1.Reg.16. 2.

Fecit quoque mare futile. Affertur hęc auctoritas ex Glossa in hoc cap. vbi dicit. *Decem enim præceptis in lege Dominus omnia, quæ facere debemus, expressit*; quamuis Doctor aliter dicat, scilicet, quod omnia pręcepta secundę tabulę explicant illud pręceptum, *Diliges proximum tuum*, quia specificant illa, in quibus non debeo odire inimicum. *Scot,3.sent.dist.30.q.vn.lit.a.A.G.* Cap. 3. 7. 23.

Sacrificium grande est mihi Baal. Affertur hæc auctoritas, ex qua Scotus non excusat Iehu a mendacio, quod licet secundum suam intentionem fuerit quodammodo officiosum, quia destructiuum cultus Baal, tamen ex sui natura, erat perniciosum, non solum, quia prouocatiuum mortis illorum, sed etiam quia erat permissiuum, quantum erat ex se, ad cultum Baal. *Scot.3.sent. dist. 38.qu.vn.lit. a. A, L.* Cap.4. 10. 11.

IOB.

1. Iob.1. NAtique sunt ei septem filij, & tres filię. Affertur hęc auctoritas ex Gregorio in Iob lib. 1. cap. 12. super quam potest probari pro argumento, quod virtutes, dona, beatitudines, & fructus sint idem inter se, quod vtique verum est, vel in proprijs speciebus, vel in gradibus, vel in passionibus, sed de hoc dictum est in Scoto Morali, vbi satis patet; quomodo iam dicta conueniant, vel sint idem. *Scot 3 sent. dist. 34. q. vn. l. a. A.*

Cap. 14. 12. *Homo cùm dormierit, non resurget, donec atteratur cælum, non euigilabit.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum Resurrectionem non esse futuram, quia cælum non atteritur. Hanc auctoritatem Doctor glosat, sic, quod cælum non atteritur quantum ad substantiam, sed bene atteritur quantum ad efficaciam, vel influentiam in ista inferiora generando, & corrumpendo; quia post iudicium cessabit ista influentia, hinc patet Resurrectio. *Scot 4. sent. dist. 43. q. 1. lit. a. A. H.*

Cap. 19. 25. *Scio enim, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Affertur hęc auctoritas ad probandam vniuersalem resurrectionem esse futuram, & valde clara est. *Scot. 4 sentent. dist 43. qu. 1. lit. a A.*

Cap. 20. 18. *Luet, quæ fecit, omnia, nec tamen consumetur.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod ignis inferni non consumet corpora damnatorum, quamuis eos æternaliter cruciet; quia ignis ex Dei voluntate non dimittitur, vt agat tanquam causa naturalis. *Scot. 4. sentent. dist. 44. qu. 3. lit. a. A*

Cap. 24. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* Affertur hæc auctoritas à Doctore, qua videtur probari eumdem damnatum pati posse à contrarijs, licet hoc videatur concedere non in summo, & realiter. *Scot. 4 sent. dist. 44. q. 3. lit. F.*

Cap. 28. 15. *Non dabitur aurũ obrizum pro ea, vel nõ æquabitur ei aurũ &c.* Affertur ista auctoritas ex Gregorio lib. 25. Moral. cap. 10. qui videtur dicere, quòd Beati non possint occultare, quòd intus habent, & hinc eorum corpora non erunt lucida, quia lucidum occultat illud, quod est intra se. Doctor autem tenet, quod corpora sint lucida, & quod

& quòd sint colorata, & clara colore perfectissimò, cõuenienté eorum complexionibus, & si non possunt occultare ea, quæ habent intus, hoc est, non per perspicuitatem simpliciter, sed per poros, qui erunt minores, quàm sint modò, & per illos oculus Beati poterit videre interna, ac si essent trasparentia*. *Scot.4.sent.dist.49. qu.15.lit.a.A.C.*

Conteret multos, & innumerabiles. Affertur hæc auctoritas ex Gregorio lib.25. Moral. cap.10. in cuius expositione vult probare, quòd sine gratia non potest homo per liberum arbitrium cauere omne peccatum mortale. *Scot.2.sent.dist.28.qu.vn.lit.a.A.A.* Cap.34. 24.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod si damnati in inferno fuerint mobiles de vno loco in aliũ, tunc poterunt etiam transferri de vno afflictiuo in aliũ afflictiuum, secundũ gradũ. *Scot.4.sent.dist.50.qu.6.lit.R.*

Causa tua, quasi impij, iudicata est, iudiciumque accipies. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quòd Christus in forma humana iudicabit, sicque à Doctore glossatur. *Causa tua, quasi impij iudicata est*, scilicet à Pilato, *Iudiciumque recipies*, dicitur Christo, igitur sicut primum non est verum, nisi de Christo secundum humanam naturam, sic dicendum de secundo, quod accipiet iudicium secundum humanam naturam. *Scot.4.sent.dist.48. qu.1.lit.A.H.* Cap. 36. 17.

Numerus annorum eius, aliàs *dierum etc.* Affertur hæc auctoritas ex Gregorio lib.27. Moralium cap.4. & ex eius dictis deducitur, quòd in mensura Angelorum sit successio, dicens, *Eorum tamen initia cernimus, cum mente retro reuocamus &c. Deus &c. nec ex quo in semetipso ricipit, nec quousque*, quam opinionem Doctor vocat problematicam, licèt ad oppositam opinionem inclinet. *Scot.2.sent.dist.2.qu.1.lit.A.* Cap.36. 26.

Sciebas tunc, quod nasciturus esses. Affertur hæc auctoritas ex Gregorio lib.29. Moralium cap.1. ex cuius dictis insinuatur æternitas generationis Filij, aitque, quòd melius, siue expressius est dicere, Filius semper natus est, quàm dicere, Filius semper nascitur: Nam per primam propositionem significatur natiuitas, vt perfecta coexistere cum omni parte temporis, ob vocem, *semper*, Cap.40. 14.

non

non sic per secundam propositionem, quia non sub ratione perfecta. *Scot.1.sent.dist.9.q.vn.lit.D.*

Cap.40, 14. *Ipse est principium viarum Dei*, siue, *Hic initium figmenti Dei*. Affertur hæc auctoritas ex Augustino de Genesi ad lit.lib.11. cap. 20.21.& 22. ad probandum, quod in primo instanti suæ creationis Angeli mali fuerunt creati miseri. Doctor tamen dicit, quòd Angelus non fuit malus in primo instanti suæ creationis, sed satis citò post, neque ex hac auctoritate potest intentum inferri, quia potest concedi, Angelus malus fuit initium operis Dei, quoad substantiam, non quoad actum ipsius, qui actus sequitur ad substantiam *Scot. 2.sent. dist. 5. qu.2. l.a. A.P.*

Cap.41. 24. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quòd corpus hominis in statu innocentiæ potuisset à malo Angelo scindi, qui tãtæ est potestatis, sed tunc Deus conseruasset innocentem à quocumque malo. *Scot.2.sent.dist.19.q.vn.l.F.*

PSALMORVM.

1. Psalm.5. I*Deo non resurgent impij in iudicio*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum resurrectionem non esse futuram. Sed intelligitur de resurrectione ad vitam beatam, & ideo sequitur, *neque peccatores in concilio Iustorum*, idest, de iustis consilium; quod perpetuò beatificentur: est Dei, siue *Concilium Iustorum*, quo scilicet consulunt. *Consilium Iustorum* est in omnibus voluntati diuinæ concordare, & in illam concordantiam impij non resurgunt. *Scot.4.sent. dist.47. quæst.1. lit.a.A.K.*

Psal.2. 5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua*. Affertur hæc auctoritas ex Augustino super hunc Psalmum, qui infert, *Obumbratio mentis sequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur*. Vnde potest deduci, quòd malitia in voluntate causet malitiam in intellectu, quod non est dicendum, sed potius è conuerso, quoniam, licèt voluntas possit auertere intellectum à consideratione prudentiæ, & facere existere in materia alicuius vitij, non tamen causat in eo errorem. *Scot.3.sent.dist.36. qu.vn. lit.B.K.*

Ira-

Irascimini, & nolite peccare. Affertur hæc auctoritas per Henricum Quolib. 8. quæst. 5. qui dicit, quod irasci conuenit non tantum ex passione, quæ est in appetitu sensitiuo, sed etiam, quæ est in voluntate; quod Doctor non videtur negare in fine quæstionis, quamuis intentionem Henrici non sequatur. *Scot. 3. sent. dist. 26. q. vn. lit. B.O.* Psal. 4. 5.

Iustus Dominus, & iustitias dilexit. Affertur hæc auctoritate ad probandum, quod in Deo datur Iustitia, sicut per alias auctoritates probatur, quod in Deo detur Misericordia. *Scot. 4. sent. dist. 46. qu. 4. l. a. A.* Psal. 10. 8.

Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. Affertur hæc auctoritas ex Augustino super hunc Psalmum, per quam vult ostendere falsitatem illorum, qui dicunt, quòd per circuitum astrorum, orbium, ac temporum, debeant redire omnia, scilicet post annum magnum, idest post triginta sex millia annorum, & hæc propter Cælum stellatum, qui mouetur in centũ annis, vno gradu. *Scot. 4. sent. dist. 43. q. 3. lit. A.* Psal. 11. 8.

Impij in circuitu ambulant. Affertur hæc auctoritas ad eamdem irridendam, & expellendam opinionem Astronomorum, de quibus ista auctoritas verè intelligitur. *Impij in circuitu ambulãt*, idest dicũt redditiones circulares *Scot. 4. sent. ibidem.* Psal. 11. 9.

Bonorum meorum non eges. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quòd non solum in Christo bonitas intrinseca est ratio adorandi, sed etiam ipsa, vt est communicatiua maximi boni in nobis, & hoc primariè, ex se, & propter se, & non propter aliquam rationem expectatam à nobis. *Scot. 3. sent. dist. 9. q. vn. lit. F.* Psal. 15. 9.

Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quòd corpus Christi non fuisset putrefactum, si resurrectio non fuisset accelerata; quod Doctor intelligit de facto, quia sicut voluntate æterna voluit corpus illud vniri Verbo, quod fuit miraculum, ita etiam voluit, quòd illud corpus inanimatum non putrefieret, etiamsi resurrectio fuisset prolongata, ac etiam, ne in illo triduo incoharetur: bene enim fuisset ibi aliqua incohatio resolutionis, non obstãtibus illis vnguentis, nisi fuisset nouum miraculum. *Scot. 3. sent.* Psal. 15. 10.

sentent. distinct. 21. quæst. vn. lit. a. A. E.

Psal. 18. 5. *In omnem terram exiuit sonus eorum &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, & probandum, quòd ad legem Moysi vnum tantum populum elegit, sed ad legem nouam, & Euangelicam elegit totum mundum, quia est lex communis. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. l. B.*

Psal. 18. 13. *Delicta quis intelligit, &c.* Affertur hæc auctoritas ad persuadendum, quod postquam quis examinauit conscientiam suam sufficienter, & nullum peccatum occurrit, de quo non fuerit contritus, vel confessus prius, non peccat communicando, sicut si tunc moreretur, saluaretur; non enim requiritur maior examinatio ad communicandum, quàm ad securè moriendum, aliter, sic se communicando, se exponeret periculo peccati, nesciẽs, an illo actu peccaret. *Scot. 4. sent. dist. 9. qu. vn. lit. B.*

Psal. 21. 3. *Clamabo per diem, & non exaudies &c.* Affertur hæc auctoritas, & ponderatur ab Augustino in hoc Psalmo sic: *Clamabo per diem. & non exaudies me. Non est fortior miles, quàm Imperator, ille optat mortem*, loquendo de Paulo, *vt sit cum Christo, & ipse Christus timet mortẽ?* quasi diceret, non, Timor enim est de nolito, quòd scitur, vel creditur esse futurum. Sed circa hoc melius est consulere Doctorem. *Scot. 3. sent dist. 15. q. vn. lit. S.*

Psal. 21. 21. *Et de manu canis vnicam meam &c.* Affertur hæc auctoritas ex Hieronymo super hunc Psalmum, qui videtur dicere, quòd B. Virgo Maria non fuit immunis à peccato originali, sic inquiens, *Vnica, idest anima Christi. Vnica dicitur, quia non habet peccatum Anima illa; & aliæ animæ ab ipsa mundantur.* Sed Doctor bene Immaculatam Conceptionem Deigenitricis probat; Ex cuius doctrina, quamuis ipse non faciat, possunt glossari, & explicari omnes Patrum auctoritates. Dicimus tamen, quòd ex hac auctoritate potius puritatem Virginis possumus argumentari. Non enim, quamuis sit vnica anima Christi, excludit Mariam, aliquo modo, sed diuerso, vt patet consideranti, quoniam etiam vnica à cælesti Sponso appellatur Maria in Canticis. *Scot. 3. sent. dist. 3. qu. 1. lit. a. A.*

Psal. 22. 3. *Super aquam refectionis educauit me &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quòd Sacramentum Baptismi,

ptiſmi, in ablutione dat mundationem animæ, quæ eſt effectus principalis, & dat gratiam copiosè. *Scot.* 4. *ſent.diſt.*3.*qu.*4.*lit.B.*

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Affertur hæc auctoritas ad oſtendendum non omnes Angelos ſciuiſſe Myſterium Incarnationis: hinc ad iſtam interrogationem reſpondet, (ait Doctor) *Dominus fortis. Scot.*2.*ſent.diſt.*10.*qu.vn.l.A.* Pſal.23.8.

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in punitione malorum, concurrat ex parte Dei punientis Iuſtitia cum miſericordia, vnde ex Caſſiodoro in Pſal. 100. Hæ duæ res in vijs Domini ſemper adiunctæ ſunt, ſic *Vtraq. enim ſe mutua ſocietate coniungunt &c.* & quia explicat per ſcripturas, inquit, *Quoniam in his ſermonibus, & cuncta opera Domini, & totius Eccleſiæ ædificatio probatur eſſe narrata. Scot.*4.*ſent.diſt.*46. *qu.*4.*l.a.A.* Pſal.24.10.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata &c. Affertur hæc auctoritas ex Auguſtino ſuper hunc Pſalmum, qui ait, *Quid enim erat Dei videre peccata, niſi punire peccata?* Ex quo probatur, quod poſt peccatum, remanet quædam relatio rationis, in quantum eſt obiectum intellectus, ſiue voluntatis Dei, qua, poſtquam peccator peccatũ commiſit, Deus ordinat ipſum ad pœnam correſpondentem peccato, & tūc intellectus præuidet, & pro omni tempore, donec pœna debita ſit ſoluta. *Scot.*4.*ſent.diſt.*14.*q.vn lit.E.* Pſal.31.1.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod non poſſit redire peccatum; Diſpoſuit enim Deus peccata pœnitentis per pœnitentiam eſſe tecta; hinc dicit Auguſtinus ſuper iſtum Pſalmum, *Quorum tecta*, ideſt, *cooperta ſunt peccata, & tecta ſunt, abolita ſunt*, videlicet non amplius videri ad vindictam, & ideo de potentia ordinaria, non poteſt redire obligatio, nec ad eamdem pœnam, nec eadem, poſtquam eſt extincta. *Scot.*4.*ſent.diſt.*22. *qu.vn.l.E.F.*

Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino. Affertur hęc auctoritas pro argumento ad probandum, quod per Sacramentum pœnitentiæ non deleatur peccatum: Hinc Caſſiodorus in hoc Pſalmo ait. *Hic magna pietas diuinitatis oſtenditur, vt ad ſolam promiſſio-* Pſal. 31. 5.

nem deuotionis subito peccata laxauerit, quando sic iudicat pium votum, quemadmodum operationis effectum. Doctor autem concedit, quòd frequenter dimittatur peccatum per aliquem motum attritionis, tanquam per meritum de congruo ante susceptionem Sacramẽti pœnitentiæ, sicut in adulto frequenter peccatum originale deletur ante susceptionem Baptismi, non tamen sequitur, quod per Sacramentum non dimittatur peccatum, quia si illa dimissio quandoque non adsit, ista non deficit. *Scot.4.sent.dist.14. qu.4.lit.a.A.G.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum non esse necessarium confiteri peccata sua: hinc Cassiodorus ibidem ait, *Dixit enim confitebor &c. ita illi remissa sunt, quæ voluit confiteri.* Dicit tamen Doctor, quod illa contritio habet propositum, seu promissionem confessionis sequuturæ. & sic non deletur peccatum, sine proposito confitendi, quod patet, quia ex eodem Cassiodoro, vt supra, votum pro opere iudicatur, idest votum, vel voluntas confitendi, iudicatur pro confessione futura; nec tamen sequitur ex hoc, quod sine confessione futura peccatum deleatur, quantum ad pœnam debitam, quia illa confessio est vna pœna, & si illa non soluatur hic, si sit tamen voluntas soluendi, soluetur alibi. *Scot.4.sent. dist.17. q.1. l.a.A.X.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad idem ostendendum, quòd ante vsum Clauium per solam contritionem, & propositum confitendi remittatur peccatum. *Scot.ibid. dist.18. qu.vn. l.a A.*

Psal. 31. 6. *In diluuio aquarum multarum.* Affertur hæc auctoritas ex Ambros.lib.de initiãdis rudibus,& habetur caus.1.q.1.ca. 50.*Non sanat.* vbi inquit, *Nõ sanat Baptismus perfidorũ, nõ mũdat, sed polluit, quæ in diluuio aquarũ multarũ &c.* nam præallegata sentẽtia intelligitur de malis Ministris. Doctor autem dicit, quod, quacumq. malitia Minister sit malus, siue hæresis, siue schismatis, siue morum, salua tamen vnitate Ecclesiæ, verè confert baptismum, & talis Baptismus verè habet effectum in baptizato, non obstante malitia Ministri, nisi obstet malitia recipientis; quia sic placuit Christo Domino, ne malitia Ministri impediret Sacramenta, nec eius effectum. Et Ambrosius

sius intelligit de illis Ministris malis, qui baptizando trahunt adultos ad assensum in hęresim ipsius baptizantis, vel vt fiat discipulus eius, quia tunc nullus esset Baptismus. *Scot.4.sent.dist.5.qu.1.lit.a.A.B.*

Iudicia tua abyssus multa. Affertur hęc auctoritas ad probandum, quàm sit difficile inuestigare rationem in prædestinatione, specialiter in determinato homine. *Scot. 1.sent.dist.41.qu.vn.lit.a.A.* Psal.35.7.

In imagine pertransit homo. Affertur hęc auctoritas ad probandum pro argumento, quòd in Angelo sit imago Dei, & sic non vult malus Angelus necessariò malum, quia est capax Dei, & hoc est per actum bonum. At Doctor intelligit hoc de capacitate secundum potentiã remotam in ordine ad actum, vel de potentia, quæ dicit principium passiuum, vel actiuum diminutum, partiale, ideo non sequitur &c. *Scot. 2.sent.dist.7.qu.vn.lit.A.S.* Psal.38.7.

Iustitia plena est dextera tua. Affertur hęc auctoritas ad probandũ, quòd in Deo datur iustitia, quę est rectitudo voluntatis, quasi habituatę inclinans ad alterũ, vel ad se, sed de hoc dictũ est alibi. *Scot.4.sent. dist.46.q.1.l.a.A.E.* Ps.47.13.

Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam. Affertur hæc auctoritas ad persuadendum, quod commendatio boni ex malo iuxta posito, refertur ad gloriam Sanctorum. *Scot. 4.sent. dist.46.qu.4.lit.K.* Ps.57.11.

Reddes vnicuique iuxta opera sua. Affertur hęc auctoritas ad probandum, quòd peccatum consistat in opere. Nam operationes aliarum potentiarum sunt in potestate voluntatis, in quibus reperitur malitia, sicuti in sermone, & cogitatione; scilicet, quando non sunt cum debitis circumstantijs elicitæ, & carent rectitudine participata, quam deberent habere. *Scot, 2. sent. dist. 42.qu.3.l.a.A.R.* Ps.61.13.

Iterum eadem auctoritas affertur ad ostendendum, quod gradus essentialis glorię correspondeat merito, quod consonat etiam obseruantiæ legis diuinæ, quia secundum ipsam, vtile est continuè, quantum possibile est, opera meritoria exercere; quamuis remissa à Deo, vt per illam non statim augeatur gratia. *Scot.4. sent. dist. 22.qu.1.post lit.H.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod

pœna damnatorum non sit æqualis. *Scot. 4. sent. dist. 50. qu. 4. lit. a. A.*

Iterum eadem auctoritas affertur, quasi ad idem, scilicet ad probandum, quòd beatitudo omnium Beatorum non sit æqualis. *Scot. 4. sent. dist. 50. qu. 5. lit. a. A.*

Psal. 68. 5. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino super hunc Psalmum pro alterius opinione, vbi dicit, quod Eua, & Adam, *rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt fælicitatem*, hinc pro argumento probatur Adæ peccatum fuisse grauissimum, ad quod Doctor ait, quod Adam non appetebat Dei æqualitatem directè, & formaliter, sed interpretatiuè tantũ, & sic omnis peccans vult appetere æqualitatem Dei. *Scot. 2. sent. dist. 21. qu. 2. l. a. A. H.*

Ps. 68. 16. *Non absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino in hoc Psalmo ad probandam necessitatem confessionis, vbi inquit, *Magnus est puteus profunditas iniquitatis humanæ. Illuc quisque, si ceciderit in altum cadet; si confiteatur peccata sua Deo suo, non super eum claudit puteus os suum: Quare clausit os suum? quia clausit os illius.* *Scot. 4. sent. dist. 17. qu. 1. lit. a. A.*

Ps. 68. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino in hoc Psalmo, vbi dicit. *Quid est vitijs consentientes, nisi scientes non debere consentire; Ecce norunt muscipulam, & pedem mittunt, & tenenda colla subijciunt.* Ex quo vult inferre, quòd non necessariò ad intellectum sequatur voluntas recta, & quod omnes virtutes morales connexionem habeant cum prudentia. *Scot. 3. sent. dist. 36. qu vn. lit. E.*

Psal. 71. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Affer- hæc authoritas ex Augustino in hoc Psalmo, qui vult, quod inferiores illuminentur per Superiores, & non magis illuminantur, quam Superiores illuminantes ipsos, hinc arguitur de fide infusa, de qua Doctor ait, quod non possit demonstrari, sed solum probari per auctoritatem sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, sed de hoc alibi dictum est. *Scot. 3. sent. dist. 23. qu. vn. lit. E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ex eodem Augustino in

Ioan.

Ioan. 1. tract. 1. qui explicat illam de S. Ioanne Baptista, dicens, *Erat enim iste Ioannes de illis montibus, de quibus scriptum est, suscipiant &c.* Et per Pacem intelligit sapientiam, qua maiores illustrantur. *Scot. 3. sent. dist. 24. qu. vn. lit. A.*

Vt quid Deus repulisti in finem. Affertur ista auctoritas ex eodem Augustino in hoc Psalmo pro argumento ad probandum, quod Circumcisio non conferebat gratiã, in cuius Psalmi expositione, ait de Sacramentis veteris Legis, & nouę Legis. *Sacramenta noui Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Legis promiserunt Saluatorem.* Doctor autem dicit Circumcisionem contulisse gratiam, sed non tantam, sicut Baptismus. *Scot. 4. sent. dist. 1. qu. 6. lit. a. A. L.* Psal. 73. 1.

Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Affertur hæc auctoritas ad probandum Angelum potuisse appetere Dei æqualitatem, quamuis fuerit impossibilis, quia etiam Dæmones odio habent Deum, vnde vellẽt Deum non esse (hoc est fundamentum odij) & tamen hoc est impossibile. *Scot 2. sent. dist. 6. q. 1 lit. A.* Psal. 73. 23.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum idem, de odio Dei, non quantum ad ipsum in se, sed volendo iustitiam Dei non esse vindicantem, & nolunt iustitiam eius quantum ad hunc effectum. *Scot. 2. sent. dist. 6. qu. 2. lit. N.*

In Israel magnum nomen eius. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Deus potest aliquo modo nominari, sed de hoc dictum est superiùs. *Scot. 1. sent. dist. 22. qu. 1. lit. A.* Psal. 75. 2.

Vouete, & reddite Dño Deo vestro. Affertur hæc auctoritas ad probandũ, quod promissum debet obseruari à promittente, & vouente. *Scot. 3. sent. dist. 39. qu. vn. lit. a. A.* Psal. 75. 12.

Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in Deo semper iustitiæ iuncta est misericordia. *Scot. 4. sent. dist. 46. qu. 4. lit. a. A.* Psal. 76. 10.

Adiuua nos Deus salutaris noster. Affertur hæc auctoritas pro alterius opinione, ex Augustino in hoc Psalmo, qui dicit, cum ait. *Adiuua nos. Cum verò adiuuari* Psal. 78. 9

nos

nos vult, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium, qui enim adiuuatur, etiam per se ipsum aliquod agit; ex quo vult inferre, quod ex parte prædestinati aliquid datur: quam sententiam Doctor non tenet, quia quod quis bene vtatur libero arbitrio, dependet à diuina voluntate. *Scot.1.sent. dist.41.qu.vn.lit.a. A.*

Psal.81.6. *Ego dixi Dij estis &c.* Affertur hæc auctoritas ab Augustino in Ioannem tract 1. vbi ait, Paulum voluisse Corinthios, quibus scribebat, esse Deos, hoc modo, scilicet per virtutes acquisitas modo inhumano. *Scot.3. sent. dist. 24.qu.vn. lit.a.A.*

Psal. 83. 5. *In sæcula sæculorum laudabunt te*. Affertur hæc auctoritas ad probandam perpetuitatem beatitudinis, quæ perpetuitas non est ab ipsa forma beatitudinis, vel à natura potentiarum, vel ab habitu, sed solum à diuina voluntate, quæ sicut perficit naturam intensiuè, ita conseruat eam in tali perfectione perpetuò, & extensiuè. *Scot.4. sent.dist.49. qu.6.lit.A.F.*

Psal.87.4 *Repleta est malis anima mea*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in Christo fuerit verus dolor, hinc inquit Augustinus in hoc Psalmo, *Non enim vitijs, per quæ homini dominatur iniquitas, animam illam repletam possumus dicere, sed fortè doloribus &c.* quod intelligitur de tota voluntate secundum portionem superiorem, & inferiorem; & hoc verum est respectu peccati aliorum, de quo tristabatur. *Scot.3.sent.dist. 15. q.vn. lit.A. Bb.*

Psal.87. 11. *Aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probādum quod pœnitentiæ Sacramentum non sit sufficiens ad delendam culpam. Sed Doctor glosat sic. *Medici*, idest Sacerdotes, non possunt suscitare simpliciter (hoc enim solius est Christi) sed tantum pro parte pœnæ, quam possunt relaxare, virtute Clauium; de quibus alibi dictum est. *Scot.4.sent.dist.14.qu.4.lit.a.A.I.*

Psal. 88. 1. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Affertur hæc auctoritas ex Gregorio 4.Moral.cap.31.ad probandum, quod anima separata possit recordari præteritorum, hinc dicit, *Quomodo in æternum misericordiam cantat, qui se fuisse miserum ignorat? Scot. 4. sent. dist. 45. qu. 3. lit.a.A.*

Quo-

Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia. Affertur iſta auctoritas ad probandum, quod vnus ſit Deus, & quod idola dicantur Dij nuncupatiuè, ſed veriùs dicuntur Dęmonia. *Scot.1.ſent. diſt.2.q.3.lit.C.* Pſal. 95. 5.

Ignis ante ipſum præcedet. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod mundus ſit purgandus per ignem, ſed, an per ignem creatum de nouo, an per ignem in aliqua determinata parte ſuper terram, non vbique, ſed motum circa terram, hoc ſtat in opinione, quia vtroque modo poteſt fieri purgatio per corruptionem alicuius impuritatis; ſecundus modus videtur Doctori probabilior. *Scot.4.ſent.diſt.47.q.1.lit. A.B.* Pſal. 96. 3.

Adorate ſcabellum pedum eius. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod caro Chriſti non debeat adorari, vt dicit Gloſ.in hoc loco, illa adoratione lætriæ, quæ ſoli Deo debetur, hæc ſunt eius verba. *Ideſt humanitatem Chriſti, quæ in quantum vnita eſt, latria eſt adoranda, ſecundum ſe verò hyperdulia*: Sed debet intelligi de termino totali adorationis, quia, vt dicit Auguſtinus ex Magiſtro ſententiar. in hac diſt. *Si hominem ſeparaueris à Deo, illi nunquam credo, nec ſeruio*, ſcilicet ſeruitute latriæ. *Scot.3.ſent.diſt. 9. q.vn. lit.a. A.I.* Pſal.98.5.

Tu autem ipſe es, & anni tui non deficient. Affertur hæc auctoritas ad probandam opinionem illorum, qui dicunt, quod in menſura Angelorum, ſiue in eorum exiſtentia actuali ſit ſucceſsio formaliter, & quod in æuo ſit prius, & poſterius, ſicut in tempore, quam opinionem Scotus dicit eſſe probabilem, licèt aliter ſentiat, *Scot. 2. ſent.diſt.2. qu.1.lit.B.* Pſal.101. 18.

Miſerator, & multum miſericors. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in Deo datur miſericordia. Datur vtique, ſed ſecundum effectum proximum, ſcilicet inolle miſeriam alteri, non ſecundum effectum remotum, ſcilicet in quantum inclinat ad paſſionem, & conſiſtit in compaſſione de malo alieno, quam paſſionem non poteſt habere Deus. *Scot.4. ſent. diſt.46.q. 2. l.a. A.A.* Pſal. 102. 8.

Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. Affertur hęc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Angelus fuit malus in principio ſuæ creationis, quod non eſt dicendum Pſal.103. 27.

cendum

cendum de primo instanti, in quo primo instanti non fuit malus, sed satis citò post, quia cecidit post aliquas morulas, hinc dicitur, in principio malus. *Scot. 2. sent. dist. 5. qu. 2. lit. a. A. Q.*

Psal. 103. 35. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod inimicus in quantum malus, & vitiosus non est diligendus, & sic intelligitur, *Non sint, quidem inimici, siue iniqui, quia verte impios, & non erunt. Scot. 3. sent. dist. 30. qu. vn. lit. A.*

Psal. 108. 9. *Fiant filij eius orphani.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino citato super hunc Psalmum, quam explicat de Iuda existente in inferno, affertur, inquam, ad probandum, quod mortui habeant memoriam præteritorum. *Scot. 4. sent. dist. 45. qu. 3. lit. a. A.*

Psal. 113. 3. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod voluntas beneplaciti Dei semper adimpletur, quæ voluntas beneplaciti consistit in vltima determinatione, quæ potest poni ex parte voluntatis ipsius omnipotentis volentis ponere effectum in esse *Scot. 1. dist. 46. qu. vn. lit. A.*

Psal. 118. 18. *Reuela oculos meos &c.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino super hunc Psalmum, couc. 7. in cuius expositione, aliqui volunt ipsum sentire inimicum non esse diligendum, verba tamen Augustini sunt hæc. *Nihil est tamen mirabilius in mandatis Dei, quam diligere inimicos vestros:* Doctor noster ait non esse præceptum de odiendo inimicum, & ideo inquit, *dictum est*; non scriptum est. *Scot. 3. sent. dist. 30. qu. vn. l. a. A. G.*

Psal. 118. 20. *Cōcupiuit anima mea desiderare, &c.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino in hoc Psalmo conc. 8. ad ostendendū, quòd non necessario voluntas sequatur intellectum, hinc ait, *Præuolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus, atque infirmus affectus. Scot. 3. sent. dist. 36. qu. vn. lit. E.*

Psal. 118. 34. *Da mihi intellectum &c.* Affertur hæc auctoritas ab aliquo opinante ex Augustino super hunc Psalmum conc. 11, & vult Sanctum ibi asserere, quod Angelus potest agere aliquid in mentem hominis, vt fit capax Dei, quemadmodum quisque dicitur illuminare domum, qui fenestram

ſtram aperit*. *Scot,2.ſent.diſt.9. qu.2. lit.A.*

Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum. Affertur hæc auctoritas ab opinãte ex Auguſtino in hoc Pſalmo ad probandum, quod damnati non poſſunt habere volitionem moraliter bonam, quia omnem volitionem deformant ex aliqua circumſtantia inordinata, referendo illam inordinatè ad amorem ſui. Scotus verò inquit quod cùm Angelus malus adhuc habeat naturalia integra, in ipſo erit naturalis inclinatio ad bonum, & ſic non apparet impoſſibilitas, quin poſſit habere completè bonum moraliter, quamuis non habeat bonam volitionem bonitate morali completa*. Sed lege *Scot. 2. ſent. diſt.7.qu.vn.lit. P.Q.* Pſal.118. 35.

Feci iudicium, & iuſtitiam. Affertur iſta auctoritas ad probandum, quod prima Auctoritas, quæ vocatur ſimpliciter principalis, competit ſoli Deo propter duo. Primò, quia Deus ſolus eſt ex ſe iuſtus, imo ipſa iuſtitia, cui tantum primum iudicium certum poteſt competere; Iudicare enim eſt ius, vel iuſtum dictare, quod competit primo iuſto. Secundò, quia iudicare eſt præſidentis, ſed de hoc alibi. *Scot. 4. ſent. diſt. 19. qu.vn. lit. A.* Pſal. 118. 121.

Prope es tu Domine &c. Affertur hæc auctoritas ex Auguſtino in hoc Pſalmo conc.29. pro argumento ad probandum, quod in damnatorum punitione non concurrit diuina miſericordia, in cuius expoſitione inquit, *Vbi non miſeretur*, ſcilicet Deus, *vindictæ veritas exhibetur*. Ergo non miſericordia, quod concedit Doctor de miſericordia liberante, non autem de miſericordia parcente. *Scot.4. ſent. diſt.46. qu.4. lit.a, A.Q.* Pſal.118. 151.

Fortè viuos deglutiſſent nos &c. Affertur hæc auctoritas ex Auguſtino ſuper hunc Pſalmum, qui ad oſtendendũ, quòd non neceſſariò voluntas ſequitur intellectum, dicit, *Hi ſunt, qui viui ſorbentur, qui ſciunt malum eſſe, & lingua conſentiunt &c. Qui conſentiunt, & viuunt, viui abſorbentur, abſorti moriuntur.* *Scot.3 ſent.diſt.39. qu.vn.lit.B.* Pſ.123.4.

Copioſa apud eum redemptio &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Deus non voluit acceptare pro redemptione hominum, niſi mortem Filij ſui, & ideo nõ fuit neceſſitas abſoluta, quia redemptio fieri poterat Pſ.129.7.

alio modo. *Scot.3.sent. dist.20.qu.vn. lit.D.*

PROVERBIORVM.

1. Prou.7. *Timor Domini principium* Sapientiæ &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum humilitatem esse principium virtutum, quia timor est species temperantiæ, scilicet humilitas, *Scot.3 sent.dist.34 qu.vn.lit.O.*

Cap.6.30.31.32. *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit, furatur enim, vt exurientem impleat animum; Deprehensus quoque reddet septuplum &c. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam, perdit animam suam.* Affertur hæc auctoritas, cum qua Doctor putat, quod cum adulterij peccatum sit maius furto, & adulterium sit dispensatum, & reuocatum quantum ad pœnam legalem, multo magis dicendum sit de furto, si rigor furti fuisset statutum in lege Mosaica *Scot.4.sent.dist.15. qu.3. lit.H.*

Cap.11.13. *Qui ambulat fraudolenter, reuelat arcana, qui autem fidelis est animi, cælat amici commissum.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod de lege naturæ tenetur quis seruare fidelitatem proximo suo, quam vellet, & debet sibi seruari, & hoc fatendum est etiam de secreto Confessionis. *Scot. 4. sent. dist.21. qu.2. lit. E.*

Cap.12.7. *Verte impios, & non erunt.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod odire inimicum, in quantum est malus, non est peccatum, quia ablatis vitijs, non sunt amplius inimici. *Scot.3. sent. dist.30. qu.vn.lit.A.*

Cap.18.3 *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Affertur hęc auctoritas ad probandā opinionem illorū, qui dicunt, quod peccatoris voluntas ita immobiliter quandoque se immergat in obiecto, vt ab illo resilire non possit, quod dicitur de Angelo malo, qui non potest velle bonum morale. Doctor tamen vult, quod Angelus malus possit velle bonum, idest habeat potentiam actiuam ad bonum ex genere, & ad bonum morale, quia in Angelo damnato reperitur inclinatio naturalis ad bonum, secundum quam potest aliquid conformiter velle, & sic non semper elicit actum moraliter malum. *Scot.2. sent. dist.7. qu.vn.lit. I.*

Cap.18.17. *Iustus prior est accusator sui.* Affertur hęc auctoritas ad probandam

bandam necessitatem confessionis pro culpæ remissione. *Scot.4.sent.dist.17.qu.1.lit.C.*

Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multa. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod damnificans in bonis famæ teneatur ad restitutionem, plus enim lædit proximum, qui aufert ei nomen bonum, quàm qui aufert diuitias; si ergo ibi tenetur secundum iustitiã restituere, multò magis hic. *Scot.4.sent.dist.15.qu.4.lit.A.* Cap.22.

Iterum eadem auctoritas affertur ad probandam necessitatem cælandi peccata in confessione detecta, ratione bonæ famæ; quam quis sibi seruari vellet. *Scot.4.sent.dist.21.qu.2.lit.D.*

Præbe fili mi cor tuum mihi. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod dissentiens, & inuitus non recipit Sacramentum Baptismi; Non enim vult Deus inuitum aliquem ascribi familiæ suæ, sicut fit per Baptismum. *Scot.4.sent.dist.4.qu.4.lit.D.* Cap.23. 26.

ECCLESIASTIS.

Omnia flumina intrant in mare &c. Et vnde exeunt flumina reuertuntur. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Diuina essentia sit pelagus omnium perfectionum, quia non solum est formaliter infinita, sed etiam virtualiter continens alias, & sic habet infinitatem à se formaliter primariam, & respectu aliorum virtualiter causalem, & virtualiter contentiuam, & ideo dicitur Pelagus. *Scot.1.sent.dist.8.q.4.lit.Q.* 1.Eccles.7.

Cunctæ res difficiles, non potest homo explicare sermone. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam rationem distinctionis, qua vsus est in quæstionibus quolibetalibus, secundum rerum difficultatem. *Scot.Proœ.Quolib.* Cap.1.8.

Nihil sub sole nouum. Affertur ista auctoritas ex Augustino lib.12.de Ciuit.Dei c.13.qui ait contra Astrologos. *Absit, vt his Salomonis verbis illos circuitus significatos esse credamus*; sed intelligitur vel generaliter accipiendo eadem præcessisse, quæ erunt, non autem eadem secundum numerum, vel intelligitur quantum ad diuinam prædestinationem, quæ non est noua. *Scot.4.sent.dist.43.q.3.lit.B.* Cap.1.10.

Cap. 1. 15. *Peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod humana natura sequitur potius inclinationem sensus, quam legem rationis. *Scot. 2. sent. dist. 14. qu. 3. lit. I.*

Cap. 3. 19. *Vnus est interitus hominis, & iumentorum*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum non dari vniuersalem resurrectionem, quia sicut iumenta non resurgunt, ergo neque homines. Sed in hoc Salomon se habet vt Concionator, & prædictis verbis tenet partem stultorum; sed inferius aliter dicit pro Sapientum parte, vt in capite vltimo. *Scot. 4. sent. dist. 43. q. 1. l. a. A. G.*

Cap. 7. 23. *Scit enim conscientia tua, quòd tu crebrò maledixisti aliis*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod conscientia non consistit in voluntate, quod patet etiam de actibus conscientiæ, qui sunt testificari, accusare, iudicare &c. quæ omnia pertinent ad rationem, & intellectum. Scot. 2. *sent. dist. 39. q. 2. lit. A.*

Cap. 9. 1. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit*. Affertur ista auctoritas ad ostendendum, quod non tenetur quis scire, si velit communicare, se esse in charitate, tunc enim quilibet communicando se exponeret periculo peccati, nesciens an si in illo actu peccaret. *Scot. 4. sent. dist. 9. qu. 1. lit. B.*

Cap. 11. 3. *In quocunque loco ceciderit lignum, ibi erit*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod potentia ordinata Dei est conformis in agendo regulis prædeterminatis à diuina voluntate, quantum ad creaturam rationalem, vel beatificandum, vel puniendum: hinc exponitur auctoritas, in cuiuscumque creaturæ rationalis amore permanserit, in illo permanebit. *Scot. 2. sent. dist. 7. qu. vn. lit. M.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probādū, quòd dānati pro solo peccato originali non puniuntur pœna sensus exterioris, scilicet pœna ignis, quia nullā delectationem inordinatam habuerunt; & hoc ex dispositione diuina; igitur, cùm isti carerent inordinata volitione in isto statu, sequitur, quod nullam tristitiam interiorem habebunt. *Scot. 2. sent. dist. 33. q. vn lit. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod ex ordi-

ordinatione diuina, ideo pœna est infinita extensiuè, quia voluntas finaliter manet in peccato; subiectum enim manet semper sub culpa; non quod Deus non possit aliter peccatum punire, quia, si Deus puniret animam tantum per diem propter culpam mortalem, & postea animam annihilaret, non faceret iniustitiam. *Scot. 3. sent. dist. 19. qu. vn. lit. H.*

Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ. Affertur ista auctoritas ad probandum resurrectionem vniuersalem, quam pro parte stultorum, vt Concionator non dixit in cap. 3. hinc ad huius catholicæ veritatis corroborationem, dixit homini, *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* *Scot. 4. sent. dist. 43. qu. 1. lit. G.* Cap. 12. 5. 13.

CANTICORVM.

ORdinauit in me charitatem. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod magis quis tenetur diligere se, quàm proximum, & pro argumento, quando restitutio est restituenti damnosa, vt si fuerit in extrema necessitate, tenetur magis illud ablatum sibi retinere, quàm ex dilectione alterius, alij restituere; quod intelligendum est, quando Dominus prius non fuerit in extrema necessitate, quia si fuerit, aliter dicendum est. Sed de hoc alibi. *Scot. 4. sent. dist. 15. qu. 2. l. a. A. I.* 2. Cant. 4.

SAPIENTIAE.

SPiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod fictus, qui non est dispositus interius, vel quia non habet veram fidem, vel quia habet aliquod peccatum, vel in actu, vel quod non displiceat, & nullo modo de eo conteratur, non recipit Sacramentum, neque gratiam, quia nolentem Deus non iustificat. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 5. lit. A. B.* 1. Sap. 5.

Excæcauit enim illos malitia eorum. Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quo virtutes omnes habeant connexionem cum prudentia, & quod error Cap. 2. 21.

ior in voluntate excœcet intellectum, vel priuatiuè, vel positiuè, priuatiuè, quia auertit à consideratione recta, positiuè, quia voluntas eligens malum finem, præcipit intellectui illum considerare &c. *Scot.3.sent.dist.36.qu.vn.lit.E.H.*

Cap.3.7. *Fulgebũt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod corpora beatorum erunt agilia, & prompta ad mouendum, quæ agilitas non est per aliquam qualitatem supernaturalem corpori superadditã defluentem ab anima, sed est per intensionẽ virtutis motiuæ ex parte animæ, & propter amotionẽ duplicis impedimenti ex parte corporis, nempe ratione organorum, & humorum. *Scot..4.sent. dist.49. qu.14.l.a.A.H.*

Cap.5.3. *Pœnitentiam agentes*. Affertur ista autoritas pro argumento ad probandum, quod pœnitentia nõ valeat ad deletionẽ peccati, quia etiã damnati, de quibus August. in Matth. c.5.serm.109. de tẽp. intelligit dictam auctoritatem, faciunt pœnitentiam, sed nõ est fructuosa, quia eorum peccata non delentur. Nihilominus damnati non verè pœnitent, quia nec pœnam tenent secundum quatuor modos alibi assignatos, cùm non sit illis voluntaria, sed cũ murmure. *Scot. 4.sent.dist.14.qu.1.lit.a.A.Y.*

Cap.9.15. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*. Affertur hæc auctoritas ad probandum peccatum originale consistere in aliqua morbida qualitate in ipsa carne aggrauante, idest inclinante ad inferiora: sed hæc auctoritas non intelligitur, quod anima inficiatur à corpore, siue à carne, sed inquantum anima est forma corporis, siue carnis, ex quarum vnione resultat filius Adæ, qui est debitor habendi iustitiam, qua caret, in qua carentia iustitiæ consistit peccatum originale. *Scot.2.sent.dist.32.qu.vn.l.a.A.M.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum cũ Auicenna lib.6. Natural. par.1. cap.6. quod anima separata clariuss videbit rerum veritatem, quam coniuncta. *Scot 4.sent. dist.45. qu.1.l.a.A.*

Cap.11.17. *Quia, per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam correspondentiam pœnitentiæ iniungendæ peccatori pœnitenti per culpam, quia pro peccatis furti, rapinæ, vel ablationis iniustæ, & aua-

& auaritiæ, magis appropriatè correſpondet erogatio eleemoſynarum; ſicque de cæteris ſecundum prudentiam diſcreti Confeſſarij. *Scot.4.ſent. diſt.15. qu.1.l.M.*

Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Affertur iſta auctoritas ad probandum in creatura rationali eſſe veſtigium Trinitatis per rationem proportionalitatis, ſcilicet per modum, ſpeciem, & ordinem, modus enim ſignatur per menſuram, ordo per pondus, & ſpecies per numerum, ex quibus veſtigium habetur, quia ſpecies repræſentat ſummam pulchritudinem, ordo ſummam operationem in Deo, & modus illimitatam potentiam ipſius, & ex hoc apparet in quibus conſiſtat ratio veſtigij in creaturis. *Scot. 1. ſent. diſt.3.qu.5.lit,F.* Cap.11. 21.

ECCLESIASTICI.

I*Nitium omnis peccati eſt ſuperbia*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod primum peccatum Luciferi fuit ſuperbia, ex mente Auguſtini lib. 14. de Ciuit. Dei cap.13. quamuis ex eius ſententia habeatur, quod primum Angeli peccatum fuerit velle inordinatum amicitiæ, & illud fuit præſumptio, quæ conceditur pro primo peccato, ſed non vt eſt prima ſpecies ſuperbiæ, ſecundùm quod propriè ſumitur, ideſt pro appetitu propriè excellentiæ, ſed bene quatenùs accipitur pro inordinato amore ſui. *Scot.2.ſent. diſt.6. qu.2. lit.a. A.R.* 10. Eccl. 15.

Beatus vir, qui in ſapientia morabitur. Affertur hæc auctoritas ad oſtendendum, quod virtutes conueniunt cū donis, & quod quandoque idem eſt ſapientia, ac charitas, vt hic, & eſt habitus, quo ſapit habenti illud obiectū, quod eſt in ſe ſapiendū, quo ſcilicet placet mihi bonū eius in ſe & illud volo mihi. *Scot.ſen..3.diſt.34 q.vn.lit.O.* Cap.14. 22.

Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te &c. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Affertur hæc auctoritas ad oſtendendum, quinam ſit cauſa peccati, Cap.15. 14. 15. 16. 17. 18.

quam-

quamuis Deus sit causa totalis. Et licèt Doctor hic videatur problematicus, non respondendo ad argumentum quartę quæstionis, dicit tamen, quod peccatum non est à Deo, sed à causa creata. Causæ enim inferioris effectus dependet à causa superiori, sed verum hoc est de causa inferiori efficiente nō de causa deficiēte, sicut est voluntas hominis ad peccandum, qui tunc deficit, & non efficit. *Scot.2.sent.dist.37.qu.vn.lit.N.& a. Aa.*

Cap.17. 26. *A mortuo quasi nihil, perit confessio.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum. quod per pœnitentiam non deleatur culpa; sed auctoritas intelligitur de confessione laudis, quæ vtique perit, & nulla est, si dignè, dum vnius est, non fiat, at de confessione fraudis, quæ fit pœnitentialis, aliter sentiendum est. *Scot.4.sent.dist.14.qu.4.lit.a. A. G.*

Cap.17. 27. *Viuus, & sanus confiteberis.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quòd pœnitentia facta in extremis non sit valida, & sufficiens ad salutem, sed hoc non bene concluditur; neque ob id dicendum, quod in extremis confessio non valeat, quia etiam infirmus potest pœnitere; cùm habeat vsum liberi arbitrij, & possit peccare peccato interiori, licet non exteriori, & sic potest peccatum dimittere per displicentiam de eo, & potest esse voluntarium illi, quod etiam, si posset peccare peccato exteriori, fugeret hoc omnino, & si superuiueret, etiam pœnitentiam haberet *Scot. 4 sent. dist. 20. qu.vn.lit.a.A.E.*

Cap.19. 4. *Qui cito credit, leuis est corde.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod etiam virtus Theologica est propriè media, non ex parte subiecti, sed ex parte excessus. Nam fides est media inter leuitatem, qua quis nimis firmiter assentit ei, quod non est credendum, & inter pertinaciam, qua quis nimis resistit credendis, alicui nolēs assentire, nisi per rationem naturalem ostendatur. *Scot. 3. sent.dist.26.qu.vn.lit.M.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod si aliquis imponit alteri aliquod crimen in publico, non tanquam sibi certum, sed sic audiuisse, dummodo ex modo dicendi non faciat maiorem certitudinem, ex qua audien-

audientes concipiant illum, de quo est sermo, criminosum, quia sic essent leues, dummodo etiam non habeat intentionem lædendi illum, quia tunc esset peccatum mortale contra charitatem; aliter non videtur excedere genus peccati venialis. *Scot. 4. sent. dist. 15. qu. 4. lit. D.*

Qui potuit transgredi, & non est transgressus. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod eadem sententia Scripturæ potest diuerso modo exponi; nam hæc potest exponi partim de capite, & partim de membris; quantum ad *potest transgredi* exponitur de membris, quantum ad *non est transgressus*, exponitur de capite, & sic de alijs auctoritatibus simile est iudicium. *Scot. 3. sent. dist. 16. qu. 2. lit. I.* Cap. 31. 10.

Qui offert Sacrificium ex substantia pauperum, quasi, qui victimat filium in conspectu Patris sui. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod ad oblationem sacrificij requiritur bona voluntas offerentis, vnde, si Iudæus obtulisset Patri Christum volentem, vel non volentem, non fuisset ista oblatio ita accepta à Patre, sicut, quando Christus sponte se obtulit, imo non fuisset accepta. *Scot. Quol. qu. 20. lit. O.* Cap. 34. 24.

Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam necessitatem sigilli confessionis, quia, sicut quis tenetur seruare bonam famam sibi, tenetur & alteri secundum legem naturæ, quæ fama tolleretur, si non seruaretur sigillus Confessionis; nam bonum nomen proximi confitentis, non permaneret in æuum. *Scot. 4. sent. dist. 21. qu. 2. lit. D.* Cap. 41. 15. & 16.

ESAIAE.

EHu *consolabor super hostibus meis.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Beati gaudeant, & lætentur de pœnis damnatorum, *Ehu*, enim particula dolentis est; Nam Deus, *cui proprium est misereri semper, & parcere*, non lætatur in perditione malorum morien- 1. Esai. 24.

tium, vnde non ordinat aliquos ad pœnam, nisi ex eo, quod non potest aliter ordinare, saluo ordine iustitiæ, qua ordinari debet culpa sub pœna; sed est differentia aliqua. Aliter enim debet gaudere Iudex de pœna iustè inflicta reo, & aliter ille, cuius non interest. Deus enim acceptat damnatorum pœnam, quia iusta est, & fit in vindictam offensæ Iudicis, & ideo maiorem habet complacentiam; non sic Beati; imo potius, si Deo faceret, vellent eorum liberationem, vel saltem non displiceret eis liberatio: tamen concluditur, quod in Beatis non erit tristitia pro nolle illo, in videndo pœnas damnatorum; volunt enim, quod Deus vult, vident etiã Deum velle pœnas, sic Beati intelligunt, & volunt intelligere Deum velle pœnas. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 3. lit. E. D.*

Cap. 2. 27. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod lex Euangelica non fuit publicè, & solemniter prædicata, & cuilibet genti simul, & in omni loco; neque simul incepit apud quoscumque, quia quibusdam incepit tempus secundum legis Euangelicæ ad mensem post Pentecosten, aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic deinceps, vt eis prædicabatur. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. H.*

Cap. 3. 9. *Peccatum suum, quasi Sodoma, prædicauerunt, nec absconderunt.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod sit malum publicare malum, siue peccatum; Nam vtique malum est esse malus interius in corde, addere tamen malum signum exterius, est addere malum malo, & sic non propalare peccatum proximo, sed cælare, cui cælare debet, non est malum; nullus enim tenetur ostendere alijs signa, quæ communiter consueuerunt sequi mala illa. *Scot. 3. sent. dist. 38. qu. vn. lit. K.*

Cap. 9. 6. *Nisi credideritis, non permanebitis*, vel secundum aliam translationem, *non intelligetis*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Doctores laborantes inquirendo veritatem creditorum, non destruebant meritum fidei: Imo iuxta Patrum sentẽtiam, crediderunt laborare meritoriè, vt intelligerent, quod crediderunt. Credentes enim inquirebant, vt intelligerent ea, quæ crediderunt

per

per rationes. *Scot. 2. sent. dist. 1. qu. 3. lit. A.*

Filius datus est nobis. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod neque Spiritus sanctus potest dici donum, quia datur; Nam filius etiam tunc diceretur donum, quia datus est; Sed intelligitur diuerso modo. Spiritus sanctus enim procedit, vt donum, vel amor donabilis, habetque aptitudinem ad donari ex vi suæ processionis, non sic filius, quia procedit vt Verbum declaratiuum essentiæ Patris, non ex proprietate personali, habens aptitudinem, vt detur, sed solùm est possibilis dari à Patre, quod conceditur, & sic alio modo Spiritus sanctus dicitur donum, & alio modo Filius. *Scot. 1. sent. dist. 18. qu. vn. lit. a. A. H.* Cap. 9. 6.

Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod peccatum sit à Deo, quia Glossa ordinaria ait, in hoc textu, *Sicut hæc inanimata tantum sunt instrumenta nihil facientia per se, sed per eum, qui mouet ea, sic nec Sennacherib* (de quo intelligit Propheta) *potuit contra Hebræos*; Erat enim ille instrumentum Dei in tali actu, & tamen mortaliter peccauit, sic Deus dicitur causa peccati, quantum ad substantiam actus. Nihilominus tantum homo dicitur peccare, & hoc est, quia, quando sunt duæ causæ concurrentes ad vnum effectum causandum, potest esse obliquitas in vna, & non in altera causa; sic potest esse defectus in voluntate creata, & non in voluntate diuina, quæ cùm sit superior, si non causat rectitudinem actus, non est ratione sui, quia ipsa, quantum est ex se, causaret, sed quia causa secunda, scilicet voluntas creata, quantum ad se pertinet, non causat. De Sennacherib posset dici, quod non sit par ratio, quia ipse fuit instrumentum diuinæ punitionis in Hebræos, at voluntas non est instrumentum sui actus, sed causa, vel efficiens naturalis peccati, vel deficiens deformitatis. *Scot. 2. sent. dist. 37. qu. vn. l. a. A. V.* Cap. 10. 15.

Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Hebræi non debeant totaliter cogi ad suscipiendum Baptismum, quia in fine sæculi saluabuntur. Tamen, quia Cap. 10. 21.

in fine sequentur Antichristum, vt dicemus inferius, melius esset illos ad Baptismum cogere; & ad veritatem Prophetiæ, paucos seruare Hebræos, vt in fine conuerterentur. *Scot.4. sent dist 4.q.9.lit.A.*

Cap.14. 12. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Angeli non fuerunt Beati in primo instanti, quia non fuerunt certi de beatitudine sua, sicut enim postea non cecidissent, nam ablata certitudine, non est beatitudo; sic fuit aliqua mora inter viam, & terminum, inter creationem Angelorum, & casum eorum. *Scot.2.sent. dist.5. qu.2. lit. M.*

Cap.26. 11. *Domine exaltetur manus tua, & non videant, videant, & confundantur zelantes populi.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quamuis Christus in iudicio vniuersali venerit in forma gloriosa, & damnati eum gloriosum viderint, ob id non beatificarentur, quia potest ostensionem obiecti separare à delectatione, & sic *videant*, vel potest referri ad visionem æternam, & tunc *videant, & confundantur* non pertinet ad idem, sed *videant*, scilicet impij conuersi per misericordiam. Et ex hoc *confundantur populi*, qui zelo quodam nolunt impijs fieri misericordiam. Si autem accipitur tantummodo de visione in iudicio, tunc potest intelligi, quod impij etiam tunc non iustificati *videant* gloriam, idest forma Corporis gloriosi, *& confundantur*, quia illa visio magis erit eis confusibilis, & tristabilis, quàm delectabilis; mens tamen literæ magis erit de visione in forma deitatis, quàm humanitatis. *Scot.4.sent. dist. 48.qu.1.lit.H.*

Cap.40. 31. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut Aquilæ current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod corpora gloriosa erunt agilia, quia habebunt perfectionem virtutis motiuæ ad promptè mouendum se; hinc pro *current* dicitur *volabunt*, & talis virtus est tam ad organicè, quàm ad inorganicè mouendum, & est, non per aliquam qualitatem supernaturalem superadditam corpori defluentem ab anima, sed propter intensionem virtutis motiuæ, & propter

pter amotionem impedimenti ex parte corporis, & collationem bonorum spirituum subtilium, in corpore. *Scot.4.sent.dist.49.qu.14. lit.a. A. B. L.*

Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet, aliter *lignum*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum charitatem, quam debent habere Cōfessarij discreti erga pœnitentem peccatorem, qui si nullam pœnitentiam velit recipere à Sacerdote, dicit tamen habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidiuandi, absoluendus est, ne cadat in desperationem; & memoranda est sibi pœna explenda in Purgatorio. Alibi legitur, pro *Calamum*, *Arundinem*, & *Lignum* pro *Linum*. Arundo quassata est peccator quassatus tentationibus, & peccatis, lignum fumigans, idest lignum animæ humidum ex peccatis, lignum fumigans, idest lignum animæ humidum ex peccatis, tamen aliquid habet de igne charitatis, & tunc extinguitur, si per duritiam Sacerdotis ad nimis difficile obligatur, sed non extinguetur, si prædicabitur sibi, quod oporteret hìc, vel alibi pœnam soluere, quanta debetur peccatis commissis, ne aliter acriter exigatur. *Scot.4.sent. dist.15. qu.1.lit.N.* Cap.42.3.

Extra me non est Deus. Affertur hæc auctoritàs ad probandum, quod tantum sit vnus Deus, & quod non sit pluralitas Deorum, quod probari potest per septem vias, vt dictum est supra, Deuteronomij *6. Scot. 1. sent. dist.2. qu.3.lit.a. A.* Cap.45.5.

Verè dolores nostros ipse portauit. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in Christo fuerit verus dolor, quod conceditur in parte sensitiua, quia obiectum approximatum eius sensui, & appetitui erat disconueniens illi, & ille sensus erat perfectè perceptiuus sensationis, quia in Christo reperiebatur secundum bonam dispositionem proportionaliter; Corpus enim, sicut ejus anima, erat perfectissimum, erat optimè complexionatum. *Scot.3. sent. dist. 15. qu.vn. lit. a. A. H.* Cap.53.4.

Generationem eius quis enarrabit? Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod generatio filij sit infinita, ex hoc, quod comprehendi non possit; sed intelligitur principiatiuè, vel causaliter, non formaliter, quia non est in- Cap.53.8.

compre-

comprehensibilis propria incomprehēsibilitate, sed tantum per accidens, siue per aliquod concomitans, siue secundum illud, quod est ratio intelligendi ipsam. Ipsa enim nata est primò intelligi per essentiam, tanquam per primum obiectum, tam ab intellectu diuino, quàm ab intellectu beato, quia essentia, vt essentia, est primum obiectum tam vnius, quàm alterius, & ratio intelligendi est incomprehensibilis, sic & generatio filij dicitur incomprehensibilis. *Scot. Quol. qu. 5. lit. R.*

Cap. 60. 19. *Non erit amplius Sol ad lucendum per diem.* Affertur hæc auctoritas ad probandum contra Philosophos, quod post diem Iudicij cessabit motus cælorum. Et hæc auctoritas intelligitur, quòd illis, qui erunt in æterna beatitudine, nullum lucis vsum præstabunt luminaria; Nam vt dicit Hieronymus in Esaiam cap. 6. lib. 17. *Solis, & lunæ cessabit officium, & erit Dominus ipse lumen in perpetuum*; & sic nullam habebunt indigentiam; tamen potest dici, quod cessabunt quantum ad influentiam, non autem quantum ad motum; & si cessarent quantum ad motum; non cessaret quæcumque actio inferiorum; motus enim solum requiritur ad approximandum actiua passiuis, non autem quantum ad productionem alicuius effectus. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 2. lit. C.*

Cap. 61. 1. *Spiritus Domini super me.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Spiritus sanctus ex Ambrosio lib. 3. de Spiritu sancto cap 1. miserit Filium ad prædicandum. *Quasi filius enim hominis, & vnctus, & missus est ad prædicandum &c. Nam secundum diuinitatem non super Christum est Spiritus, sed in Christo.* Et illa missio intelligitur non de missione Verbi æterni incarnandi, sed de Christo homine; vel potest intelligi de filio, scilicet, quod Filius misit se; Si enim mittere est manifestare, non repugnat, quod Filius se manifestet. *Scot. 1. sent. dist. 11. qu. vn. lit. D.*

Cap. 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod multi Augeli nescierunt Incarnationem, ante Incarnationis tempus, vel passionem Christi, sicut de Angelis inferioris ordinis dictum est superiùs, & expressius dicetur infra. *Scot. 2. sent. dist. 10. qu. vn. lit. A.*

Ite-

Iterum affertur eadem auctoritas ad idem probandum, quia, quamuis communiter prius illuminentur Angeli, quam homines de rebus fiendis, tamen hoc non est necessarium; potest enim Deus aliter ordinare, vt prius reuelet aliquid per infusionem fidei, & credendorum reuelationem homini, quàm Angelo. *Scot 3.sent.dist.25. qu.1.l.a. A.K.*

Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod Beati non cognoscant orationes, quas eis nos offerimus; at ex hac auctoritate hoc non elicitur, quia Abraham pro tempore, quo prophetabat Esaias, erat in limbo, & ideo nesciebat suos filios, seu descendentes Iudæos habitantes in terra Israel; quia nec notitia naturali intuitiua impedita per immoderatam distantiam, nec notitia reuelationis specialis, quoniam non habuit illam visionem in verbo, quàm concomitatur talis reuelatio, illos potuit cognoscere. Tamen non intelligitur de Beatis, quibus in verbo regulariter reuelantur, quoniã à Deo expectant, vel tanquam augens eorum beatitudinem, vel tanquam pertinens ad causalitatem eorum, respectu beatitudinis aliorum. *Scot.4.sent.dist.45. qu. 4.lit.a. A.H.* Cap.63. 16.

Ecce enim ego creo cœlos nouos; sed prius dicit, *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod anima separata non potest recordari præteritorum, quæ ipsa nouit coniuncta, nam tunc recordatio ista eis esset causa magnæ miseriæ, quia recordarentur peccatorum, sed est aduertendum, quod Beati recordantur peccata commissa, nec eis est tamen ad pœnam, sed gaudent de misericordia remittente, & de liberatione à pœna. *Scot. 4. sent. dist.45.qu.3.l.a. A.O.* Cap.65. 16.17.

Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, & egredientur, & videbunt membra hominum, qui præuaricati sunt. Hæc auctoritas affertur ad probandum vniuersale iudiciũ futurũ ab August. qui lib.20.de Ciuit.Dei c.21.inqnit, *Cum & in bonis caro, & in malis membra, vel cadauera nominantur, profectò post Resurrectionem carnis, cuius fides his rerum vocabulis omnino firmatur, illud, quo* Cap.66. 23.24.

boni,

boni, & mali suis finibus dirimentur, futurum esse Iudicium declaratur. Scot.4.sent.dist.47.qu.1.lit.a. A.

Iterum affertur hæc auctoritas, *Egredientur, & videbunt cadauera hominum, & erit ad satietatem omnis carnis,* siue, *& erunt vsque ad satietatem visionis omni carni*; ad ostendendum, quod bonum est, vt in bonis ostendatur misericors gratia, & in certis alijs iusta vindicta, & sic commendatio boni ex malo iuxta posito etiam refertur ad gloriam Sanctorum. *Scot. 4. sent. dist. 46. qu. 4. lit. K.*

Cap. 66. 23. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod dantur regulæ æternæ diuinæ voluntatis, secundum quas, ex potentia Dei ordinata, certum est Deum nunquam daturum malis gratiam, & secundum hoc impossibile est eos bene velle, quod intelligitur de damnatis. *Scot. 2. sent. dist. 7. qu. vn. lit. M.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod damnati non acquiescunt huic tanquam vero, *Deum esse odiendum*, quia verba Prophetæ non essent vera, nam tunc ijdem damnati simpliciter delectabiliter odirent Deum absque remorsu. *Scot. 3. sent. dist. 36. qu. vn. lit. E.*

HIEREMIAE.

Ierem. 11. 9. INuenta est coniuratio in filijs Iuda. Affertur hæc auctoritas ab Origene super eadem Ieremiæ verba, referente Magistro in hac 9. dist. primi lib. in qua Origenes dixit filium semper nasci, sicut Gregorius, vt relatum est, dixit filium semper natum esse; hinc Magister eosdem conciliat, eorumque dicta non improbat. *Sed congruentiùs semper natum, & eumdem fatemur ab æterno esse, & Patri coæternum, idest, auctori* ait. *Scot. 1. sent. dist. 9. qu. 11. l. D.*

1. Thren. 12. *Videte, si est dolor sicut dolor meus*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in Christo fuit maximus dolor, sed in appetitu sensitiuo. habuit enim corpus optimè dispositum, sensum optimè perceptiuum, & appetitum summè ad contrarium inclinatum, & ideo fuit maior dolor in appetitu sensitiuo, non tamen doluit inconso-

labi-

labiliter, sicut damnati. *Scot.3.dist.15.q.vn.l.a.A.Aa.*

B A R V C H.

NOn est, qui possit scire vias eius, sed qui scit vniuersa, nouit eam. Tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Affertur hæc auctoritas ad probandam vtilitatem, & necessitatem sacræ Theologiæ, quæ est scientia diuinitus inspirata, & ad signandum vtrumque Testamentum, vetus & nouum, ex quibus tanquam ex duabus partibus principalibus constat sacra Scriptura, tradita a nobis à Spiritu sancto, vt dictum est supra. *Scot.Prol.sent.q.1.lit.a.A.* 3.Baruch 31.32.37.38.

E Z E C H I E L I S.

AD vsuram non commodaueris. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quàm sit odibile, & detestabile vsuræ vitium, cùm prohibeatur vtroque testimonio, & nouæ, & veteris Legis, vt Extr.tit.9. de Vsuris cap.4.*Super eos verò. Scot.4.sent.dist.15.qu.2. lit.T.* 18. Exech 8.

Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor &c. vita viuet. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Sacramētum pœnitentiæ valeat ad deletionem peccati. Nam ideo instituta, & data est pœnitentia, vt deleatur mortalis culpa post Baptismum. *Scot.4.sent.dist.14.q.2.lit.L.* Cap.18. 21.22.

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod non sit necessarium confiteri peccata sua Sacerdoti, quia sine ipsa potest peccator saluari. Doctor dicit hoc verum esse, sed cum confessione in voto, in casu necessitatis, scilicet cum voluntate confitendi, quæ indicatur pro confessione futura, aliter contritio nihil esset. *Scot.4.sent.dist.17.qu.vn.lit.a.A.X.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod positus in extremis potest saluari, & facere pœnitentiam de peccatis commissis; quia, dum habet arbitrij libertatem, sicut potest actu interiori peccata committere, & de peccatis delectari, potest etiam de illis conteri, &

ingemiscere. Scot. 4. sent. dist. 5. qu. 1. lit. a. A.

Cap. 28. 12, *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Angelus non statim fuit in miseria, sicut nec in gratia confirmatus; omnes enim erant repleti sapientia, & decore. *Scot. 2. sent. dist. 5. qu. 2. lit. a. A.*

Cap. 28. 13. *In delicijs paradisi fuisti.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Angelus in primo instanti suæ creationis non fuit malus; quia non statim cecidit, sed inter principium creationis, & damnationis fuit mora. *Scot. 2. sent. distinct. 5. qu. 2. lit. M.*

DANIELIS.

7 Daniel. 10. M*illia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quòd non omnes Angeli mittantur, quod verum est, si loquatur de Angelorum missione ad extra; quoniam ad extra non omnes mittuntur. Nam de superiori Hierarchia non mittuntur, nisi aliqui ad speciale ministerium, vt fuit ad Incarnationem, & Passionem Christi denunciandam. Si verò loquamur de missione ad intra, omnes profectò mittuntur; quia superiores mittūtur ad illuminandum Angelos inferiores, & inferiores mittuntur ad illuminandos, & custodiendos homines, secundum diuinam voluntatem. *Scot. 2. sent. dist. 10. qu vn. lit. a. A. A.*

Cap. 9. 24. *Vt vngatur Sanctus Sanctorum.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam pertinaciam Iudæorum, qui damnant, & respuunt nouum Testamentum; cùm tamen Christus iam venerit, à quo Testamentum nouum institutum, promulgatum, & sicut autenticum fore recipiendum prophetæ perhibent. *Scot. Prol. sent. q. 2. lit. P.*

OSEAE.

1. Oseę 24. F*Ac tibi filios fornicationum.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum præcepta Decalogi nōn esse de lege naturæ, quia præcepta de iure naturæ sunt indispēsabilia, & tamen Deus dispensauit cum Osea præceptum de

non

non mœchari, & alia: Hinc sciendum quod omnia præcepta Decalogi sunt de iure naturæ, sed non eodem modo; quia solùm præcepta primæ tabulæ sunt de iure naturæ strictè, & rigorosè; Præcepta autem secundæ Tabulæ non sunt eiusmodi, sed solum reductiuè, quatenus dilectio proximi ordinationem dicit ad dilectionem Dei, & ideo non negatur posse dispensari ad voluntatem primi, & supremi præcipientis. *Scot. 3. sent. dist. 37. qu. vn. lit. a. A. B.*

IOELIS

S*Cindite corda vestra*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod pœnitentia non est tantum vnius pœnæ inflictiua, sed plurium, vt sit vera pœnitentia, quarum vna explicatur per hanc auctoritatem. *Scot. 4. sent. dist. 14. q. 3. lit. a. A.* 2. Ioel. 13.

C*ongregabo omnes gentes, & deducam eos in Vallem Iosaphat*. Affertur hæc auctoritas ad probandam opinionem illorum, qui dicunt, quod vniuersale Iudicium sit futurum in Valle Iosaphat; attamen dicit Doctor, quod mali fortè erunt in Valle, vel in circuitu eius; boni autem non erunt in Valle; &, vt conijcitur, Iudex descendet inferius in aere, in quo fuit transfiguratus coram Apostolis, in qua transfiguratione ostendit signum gloriæ futuræ. *Scot. 4 sent. dist. 47. qu. 1. lit. H.* Cap. 3. 2.

IONÆ.

S*Vbleuabis de corruptione vitam meam*. Affertur hæc auctoritas ex Hieronymo, probando identitatem corporis Christi viuentis. & mortui; qui dicit hoc in textu, *Dicemus idipsum quidem corpus, & eamdem carnem resurgere, quæ sepulta est, quæ in humo condita*. *Scot. 4. sent. dist. 11. q. 3. lit. Q.* 2. Ionæ. 7.

NAHVM.

N*On consurget duplex tribulatio*. Affertur hæc auctoritas sub istis verbis. *Non iudicabit Dominus bis in* 1. Nahum. 9.

 idipsum,

idipsum, ad probandum, quod peccata deleta per pœnitentiam non possunt redire, de potentia ordinata, ad eamdem obligationem; neque ad eamdem pœnam, postquam fuerit exacta. *Scot. 4. sent. dist. 22. qu. vn. lit. B.* Iterum affertur eadem auctoritas sub his verbis, *Non puniet Dominus bis in idipsum*. Ad probandum pro argumento, quod non est futurum vniuersale Iudicium, quia Iudicium factum est. Quod verum est, si loquamur in quantum iudicatur persona priuata, quia, vt sic, iudicatur finaliter, quando est in termino viæ sibi præfixæ; tamen, si loquamur in quantum est pars familiæ deputatę pro Aula, vel familiæ deputatæ pro carcere, iudicabitur cum alijs in Iudicio finali. *Scot. 4. sent. dist. 47. q. 1. l. a. A.*

HABACVC.

3. Habac. 11. SOl, & Luna steterunt in habitaculo suo: in ordine suo ait Isidorus 4. lib. de Ord. Creaturarum cap. 5. Ex quo per Magistrum affertur hæc auctoritas ad probandum, quod orbes Cœlorum post diem Iudicij non amplius mouebuntur, sic dicens; *Post Iudicium Sol laboris sui mercedem suscipiet*, & non veniet ad occasum, nec Sol, nec Luna, sed in ordine, quo creati sunt stabunt, ne impij in tormentis sub terra positi fruantur luce eorum. Nihilominus auctoritas non est intelligenda, quod ideo hæc luminaria stabunt, quia aliter damnati fruerentur eorum luce; quia ipsi non sunt sub terra; Sicut opinatur de Antipodis, quasi in superficie opposita nostræ terræ habitabili, sed sunt sub terra, idest in centro terræ, vel in concauo terræ, & sic damnati non magis haberent lumen, si Sol circumferretur, quam si staret semper in vna parte terræ. Similiter *in ordine suo*, in quo fuerunt creati, neque sic, quia esset irrationabile: Ex quo enim recessserunt à primo situ semel, non redeunt ad eumdem infra spatium 30000. annorum, vnde oporteret transferri iudicium vsque ad hunc terminum; quod non est probabile; ideo aliter sentiendum est, scilicet de influentia, vt dictum est. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. vlt. A. L.*

ZA-

ZACHARIAE.

LOquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam, & probandam necessitatem seruandi sigillum Confessionis esse de iure naturæ, quia seruare promissum, licitum est de iure naturæ, sicut est illud promissum, quod facit Confessarius in audiendo secretum in Confessione detectum. Promisit enim saltem implicitè, se secretò seruaturum, aliter pœnitens non reuelaret peccatum suum, & ideo debet dicere veritatem in obseruando promissum. *Scot. 4.sent.dist.21. qu.2.lit.E.* 8.Zach. 16.

Erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod orbes Cælorum non mouebuntur post diem Iudicij, quæ auctoritas debet intelligi, quod *non erit dies, neque nox,* ad finem, scilicet ad generationem, & corruptionem rerum; quæ quamuis fiat per lationem Solis in obliquo circulo, fit etiam per lationem diurnam ab Oriente in Occidẽs. *Scot.4.sent. dist.48. qu.2. l.a.A.B.* Cap.14. 7.

MALACHIAE.

MAledicam benedictionibus vestris. Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod mali Sacerdotes non conficiant, quæ sic exponitur caus.1. q.1. can.88. *Multi secularium. Maledicam,* idest, *quicquid à vobis benedicitur,* & est comminatio facta malis Sacerdotibus. Sed ista Glossa sic explicatur, *quicquid à vobis benedicitur*, (supple) in quantum mali estis; quia mali inquantum mali, adulando, benedicunt malis, quibus Deus veraciter maledicit. At in Eucharistia Sacerdos non benedicit inquantum malus, sed inquantum habet in benedicendo, intentionem Ecclesiæ. *Scot 4.sent.dist.13, qu.2.lit.a. A.B.* 2. Malach. 2.

Cum odio habueris vxorem, dimitte, dicit Dominus Deus Israel. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod licitum fuerit repudiare vxorem, quod potest concedi secundum legem Mosaicam, non autem secundum legem naturæ, & secundum legem Euangelicam; Cap.2. 16.

cam; quia sicut Christus voluit, quod Matrimonium in sua lege esset vnius cum vna, delendo bigamiam, sic etiam voluit, quod Matrimonium simpliciter perfectum esset, scilicet indissolubile delendo repudium. *Scot.4. sent. dist.33. quæst.3. lit. a. A.B.C.*

MACHABAEORVM.

2.7. Machab. 14. *Ibi enim resurrectio non ad vitam erit*. Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod peccatores non resurgunt ad vitam, & ad gloriam, sed ad mortem, & ad pœnam æternam, sicuti Antiocho dictum fuit. *Scot.4. sent.dist.47. qu.1.lit.K.*

Cap. 2. 12. 44. *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret*. Affertur hæc auctoritas ad probandum per sententias sacræ Scripturæ resurrectionem mortuorum esse futuram. *Scot.4 sent.dist.43. qu.1.lit.G.*

Cap.2. 12. 46. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Sacerdotes tenentur orationem facere, & sacrificia offerre pro mortuis, quia in ipsis est maxima indigentia, cùm non possint ex se mereri, quamuis ex alio respectu, prius pro viuis, quàm pro mortuis orandum esset. *Scot.Quolibet.qu.20. lit.L.*

MATTHAEI.

1 Matth. 18. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod inter immaculatissimam Virginem, & Sanctissimum Ioseph fuit verum matrimonium, quia potest quis dare alteri potestatem sui, retento sibi vsu, sicut fecit Spiritus sanctus, qui dedit dominium corporis Virginis Sponso Ioseph, reseruato, & retento sibi vsu, auctoritate sua. Nec fuit ibi dubium de puritate Ioseph, quoniam sicut Angelus reuelauit Ioseph puritatem Mariæ, ita Mariæ Sponsæ reuelauit puritatem, & Castitatem Ioseph, & quamuis in matrimonio detur mutua potestas corporis vsque ad copulam, si petatur; tamen, posita hac conditione, cum certitudine de nunquam ponenda in esse, potuit

potuit cum Virginitate matrimonium esse. *Scot.4.sent. dist.30. qu.2 lit.a.A.D.*

Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Affertur hæc auctoritas ad probandum idem, videlicet Beatissimum Ioseph fuisse certificatum ab Angelo de puritate immaculatissimæ Virginis. *Scot.4. sent.dist.30.qu.2 lit.D.* Cap.1.20.

Pœnitentiam agite &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum quod pœnitentia requiritur necessariò ad deletionem peccati mortalis commissi post baptismum; & est ita vniuersaliter præfixa à lege diuina ordinante peccatum puniri per pœnam tamquam per proprium correspondens. *Scot.4 sent.dist.14.qu.1.lit.a. A.L.* Cap.3. 2.

Facite dignos fructus pœnitentiæ. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod pœnitentia virtus non est tãtum vnius pœnæ inflictiua, sed plurium pœnarum, vt dictum est supra. *Scot.4.sent.dist.14. qu.3.l.a. A.* Cap.3. 8.

Iterum affertur eadem auctoritas, supposita varia acceptione pœnitentiæ, ad probandum, quod satisfactio non sit pars pœnitentiæ, sed fructus, qui non potest dici pars; nulla enim pars est posterius toto, quod intelligitur de opere exterius operato, quod vtique est fructus, & non pars pœnitentiæ, est tamen pars eius, quod est puniri; nec est inconueniens idem esse partem prioris, & fructum posterioris. *Scot.4. sent.dist.16. qu.1.l.a. A. H.*

Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod præceptum de cultu Deo exhibendo, non est tantum negatiuum, & prohibitiuum, scilicet de prohibendo adorationem alteri, cui non conuenit; sed etiam affirmatiuum, scilicet, vt habeatur vnus Deus, & vt, tanquam Dominus adoretur. *Scot.3. sent.dist.9. qu.vn.lit.C.* Cap.4. 10.

Ambulans autem Iesus &c. Affertur hæc auctoritas ex Gregorio homil.5. in Matth. super quam dicit, quod ad Sacrificij oblationem requiritur deuotio offerentis, cuius affectum Deus pensat. Hæc sunt Patris verba. *Cor namque & non substantiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur, scilicet affectu. Scot.Quolib.qu.20. l.O.* Cap.4. 18.

Beati pauperes spiritu. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, Cap.5. 3.

dendum, quod beatitudines sint idem habitus cum habitibus virtutum. Nam secundum Augustinum lib. 1. de serm. Dom. in monte, sub initio, Pauperes spiritu, sunt timentes Deum, hæc sunt eius verba. *Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles, & timentes Deum, idest non habentes inflantem Spiritum. Scot. 3. sent. dist. 34. qu. vn. lit. N. O.*

Cap. 5. 4. *Beati mites &c.* Affertur hæc auctoritas ad declarandam vnam speciem iustitiæ, scilicet amicitiam, quæ exprimitur per mititatem, mites enim sunt, qui non offendunt, nec resistunt malo, quod quamuis sit minimum in amicitia, exprimit illam, qua quis communicat se proximo amico. *Scot. 3. sent. dist. 34. q. vn. lit. M.*

Cap. 5. 5. *Beati, qui lugent.* Affertur hæc auctoritas ad exprimendam spem, luctus enim est habitus desiderandi illud, quod lugetur, quod desiderium competit spei. *Scot. 3. sent. ibid. lit. N.*

Cap. 5. 6. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Affertur hæc auctoritas ad exprimendam charitatem; Esurire enim non est sine misericordia, quæ elicitur ab habitu charitatis; proprijssimè enim charitas viæ est habitus, quo esurimus iustitiam, & diligimus Deum in se, quod est vera iustitia. *Scot. ibid. lit. N.*

Cap. 5. 7. *Beati misericordes.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam tertiam speciem iustitiæ, quæ est quantum ad exteriora communicanda proximo; nullo enim modo potest aliquis esse ita dispositus circa exteriora proximo cõmunicanda, quam per misericordiam; misericors enim communicat, non vt rehabeat, nec vt prius rebeneficiatus ab eo, cui communicat. *Scot. ibidem.*

Cap. 5. 8. *Beati mundo corde.* Affertur hæc auctoritas ad exprimendam speciem temperantiæ moderantem voluptates in communi; munditia enim cordis est immunitas volũtatis ab omni inordinata affectione, vel delectatione, tam ratione sui, quàm ratione appetituum sensitiuorum, quibus coniungitur. *Scot. ibid. lit. M.*

Cap. 5. 9. *Beati pacifici.* Affertur hæc auctoritas ad exprimendam aliam speciem iustitiæ, quæ diuiditur in dominationem iustam, & obedientiam. Pax enim seruatur in hoc, quod Præsidens rectè regat, & subditus rectè obediat. *Scot. ib.*

Beati

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Affertur hæc auctoritas ad exprimendam virtutem fortitudinis in sua perfectissima specie, cui coniungitur illa munditia cordis. *Scot. ibid.* Cap. 5.10.

Non veni legem soluere, sed adimplere. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod lex noua sit grauior lege veteri, quia, vltra grauitatem præceptorum veteris legis, habet grauitatem propriam præceptorum suorum. Nihillominus ista præcepta, nouæ legis consistunt in actibus dilectionis Dei immediatè, & magis explicatur Christianis, quàm Iudęis; quia illorum erat lex timoris, nostra autem est lex amoris; amor autem, & præcipuè finis, si ille quęratur, facit omnia onera leuia, & sic leuior est lex noua, quàm vetus. *Scot. 3. sent. dist. 40. qu. vn. lit. A. I.* Cap. 5.17.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, quod institutio Baptismi non euacuauerit Circumcisionem, cùm Circuncisio fuerit præcepta in lege veteri. Potest tamen ista auctoritas intelligi quantum ad præcepta Decalogi, quæ simpliciter manent, & perfectius; non quantum, ad Circumcisionem, quam non venit soluere, sed quantum ad fructũ, ad quem erat instituta, imo perfecit eam, copiosius remedium, & longè perfectius instituendo, & si ipse obseruauit hoc, fuit adimplere legem, quia non oportuit legislatorem statim circa Natiuitatem suam legem ferre, sed deinde soluit, Baptismum instituendo. *Scot. 4. Sent. 3. qu. i. l. a. A. P.*

Dictum est antiquis, non occides, ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo &c. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum maiorem grauitatem nouæ legis, sed circa hoc dictum est supra. Nam ad leuitatem legis nouæ maximè facit multitudo, & efficacia auxiliorum, & inter alia nobilius est valde explicita promissio vitæ æternæ, quam veteres non habebant. *Scot. 3. sen. dist. 40 qu. vn. lit. A. H.* Cap. 5.21.

Non occides, qui dixerit fratri suo Racha &c. Affertur hęc auctoritas ad ostendendũ, quod præcepta Decalogi simpliciter manent, sed perfectius exponuntur, quàm intelligant Hæbrei, qui ista explicita præcepta non habebant. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. l. O.* Cap. 5.21. 22.

Cap.5.22. *Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit iudicio, qui dixerit fatue reus erit gehenna ignis.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod peccatum potest esse in sermone quod debet intelligi materialiter tantum, quoniam formaliter est in voluntate, cui subest actus potentię motiuæ, qui deberet esse circumstantionatus, & rectus rectitudine debita. *Scot.2.sent.dist.42. qu.2.lit.a.A.N.*

Cap.5.28. *Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod præcepta Decalogi non sunt soluta, sed expressiùs explicata. *Scot..4 Sent.dist.3.qu.4.l.O.*

Cap.5.32. *Non periurabis, reddes autem Domino Deo tuo iuramenta tua.* Hæc auctoritas extracta est ex Exod.c.20. & affertur ad probandum, quod periurium sit peccatum mortale, quia est contra præceptum primæ tabulæ, & per consequens immediatè auersiuus a fine vltimo, & ideo nihil deficit sibi de ratione peccati mortalis. *Scot.3.sent. dist.39.qu.vn.lit.a.A.B.*

Cap.5.37. *Sit autem sermo vester, est, est, non, non.* Affertur hæc auctoritas ad dissuadendum periurium, quia periculum est habere frequenter iuramentum in ore; in multis enim sermonibus, sine iuramento, quis non peccaret, vbi, adhibito iuramento, peccaret, & grauiter, si fieret ex deliberatione: hinc cauendum est à iuramento. *Scot.3.sent. dist.39 qu.vn.lit.H.*

Cap.5.39. 40. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram, & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Affertur hęc auctoritas ad ostendendum, quod nulla iudicialia posuit Christus, quia lex Euangelica est lex mititatis, & humanitatis, non sic lex vetus Mosaica. *Scot.3.sent.dist. 40.quest.vn.lit.B.*

Cap.5.42. *Audistis quia dictum est antiquis diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Affertur hæc auctoritas à Doctore, in qua videtur problematicus, an Hebræi tenerentur diligere inimicos, ante Christi præceptum, hinc dicit, quod omnes teneantur diligere implicitè, non explicitè, sicut non tenentur omnes omnia diligibilia explicitè cognoscere, sicut tenentur omnes implicitè omnia credibilia credere. *Scot.3.sent.dist.25.quest.1.lit.K.*

Ite-

Iterum affertur eadē auctoritas ad probandum pro argumento, quasi ad idem, scilicet, quod non sit necessarium ex charitate diligere inimicum. & sic esse obseruandum in lege noua, sicut in lege veteri, quod repugnat. Hinc est aduertendum, notat Doctor, quod Saluator inquit, notatu verè dignissimum, *Dictum est*, non scriptum est, & si erat scriptū. *Diliges amicum tuum*, non erat scriptum, *odio habebis inimicum tuum*, sed Hebręi peruertebant sensum scripturæ arguentes à contrario, quæ regula arguendi non intelligitur, nisi de contrarijs præcisis, scilicet, quando ambo extrema vnius partis non subsunt vni extremo alterius contrarietatis. *Scot. dist.* 30.*qu.vn.lit.a.A.G.H.*

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod de necessitate quis teneatur ex charitate diligere inimicum. *Scot. ibid. lit.a.A.* Cap. 5. 44.

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Affertur hæc auctoritas tanquam probatiua eiusdem præcepti, quod Hebræi male intellexerunt, dicentes inimicum non esse diligendum. *Scot.* 3.*sent.dist.*30.*qu. vn.lit.G.H.* Cap. 5.46.

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est. Affertur hęc auctoritas, non cum hac intelligentia, vt Christus monuerit Discipulos suos & nos, vt simus perfecti perfectione naturali, sicut Pater Cœlestis naturaliter est perfectus, & beatus, sed vt simus perfecti perfectione participata nobis competenti, scilicet gratiæ. & virtutum. *Scot.*1. *sent.dist.*5.*qu.*1.*lit.a.A.* Cap.5.48.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quis ex necessitate tenetur diligere inimicos; nam si necessarium est ad nostram salutem, vt Deus nobis peccatoribus peccata dimittat, ita debemus alterius peccata dimittere; hinc ex Euangelista deducimus, quod dimittetur, si dimittimus, non dimittetur, si inimicis nostris non dimittimus. *Scot.*3.*sent.dist.*30.*qu.vn.lit.a.A.* Cap. 6.12.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod intentio non sit voluntatis actus, sed intel- Cap.6.22.

lectus, sed hoc dicetur in Luc.cap.11.35.ibi locum cum Glossa explicabimus. *Scot.2.sent.dist.38.quæst.vn.lit.a.A.*

Cap.7. 12. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendũ quod illa, quæ sunt tradita in sacra Scriptura, sunt rationi cõsona, sicut de eorum rationabilitate patere potest, sigillatim cuilibet pertractanti de Præceptis, Consilijs, & Sacramentis. *Scot. Prolog. sent. quæst.2.lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad idem probandum, scilicet, quod hæc sit lex naturæ de charitate fraterna, vt vnus alteri rependat virtutis actum, & ex hoc vult ostendere præceptum de silẽtio seruando à Confessario homini pœnitenti de peccatis in Confessione detectis. *Scot.4.sent.dist.21.qu.2.lit.D.*

Cap.7. 16. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod peccatum non sit à bono tanquam à causa. Hinc ex glosa Lyrani in hoc loco deducitur, quod causa boni sit bona, & mali mala. Nihilominus hic Saluator intelligit per Arborem, actum interiorem, & per fructum, actum exteriorem, & increpat hypocritas, idest Pharisæos, monens eos, vt conforment actus exteriores interioribus, & è conuerso, vt scilicet appareant quales sunt, & è conuerso, vt sint quales apparent. *Scot.2.sent.dist.34.qu.vn.lit.a.A.A2.*

Cap.10. 11. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod tirannus non potest exercere, nisi persecutionem extrinsecam, nam postea, vt sequitur Euangelista, *Animam non potest occidere*, non habet amplius, quid faciat, & talis persequutio exterior præsertim est electis materia exercendi patientiam, & proficiendi in virtutibus; hinc videtur, quod non licet velle mortem tiranno. *Scot.3. sent. dist.30.q.vn.lit.D.*

Iterum affertur eadem sententia ad ostendendum, quod innitendo lumini naturali, probari necessario non potest resurrectio futura, nec à priori, neque à posteriori per rationem alicuius operationis congruentis homini, sed tantum certa habetur per fidem. *Scot.4.sent.dist.43.qu.2.lit.X.*

Cap.11. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Affertur hęc auctoritas ad ostendendum, quod Animę existentes in

Purga-

Purgatorio, & in Limbo nesciunt ea, quæ fiunt in mundo, quia Ioannes Baptista multa retulit animabus in limbo de Christo Domino, quæ illæ ignorabát, præcipuè descensum Christi in limbum, vt ex Gregorio hom. 6. in Luc, cap. 11. clarè patet. *Scot. 4. sent. dist. 45. qu. 2. lit. E.*

Neque Patrem quis nouit, nisi filius; Affertur hæc auctoritas ad probandam conuersionem propositionum negatiuæ exceptiuæ, & affirmatiuæ exclusiuæ de parte excepta, pro argumento, sed de hoc in Scoto Logico, Deo dante. *Scot. 1. sent. dist. 21. qu. vn. lit. a. A. I* Cap. 11. 27.

Venite ad me omnes &c. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Affertur hęc auctoritas ad ostendendam leuitatem legis Euangelicæ, cùm sit lex amoris, qui omnia onera facit leuia. *Scot. 3. sent. dist. 49. q. vn. lit. a. A. I.*

Iterum affertur eadem auctoritas, *Iugum suaue*, ad probandum Sacramentum Baptismi esse facile, facilitas enim est vna proprietas inter alias huius Sacramenti. *Scot. 4. sent. dist. 3. q. 4. lit. B.* Cap. 11. 28.

Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet. Afferrur hec auctoritas, explicaturq. supra in Esaia c. 42. 3. *Scot. 4. sent. dist. 15. qu. 1. l. N* Cap. 12. 20.

Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum nō rimittetur ei, neq. in hoc sæculo, neque in futuro. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod aliqua peccata etiam remittuntur post mortem; & hinc infert Magister sent. 4. dist. 21. *Ex quo datur intelligi, sicut Sancti Doctores tradunt, quod quædam peccata in futuro dimittentur.* quod debet intelligi, quantum ad pœnam, non autem quantū ad culpam, loquendo de peccato mortali, sed de peccato veniali, est aliter dicendum. *Scot. 4. sent. dist. qu. vn. lit. a. A.* Cap. 12. 32.

Iusti fulgebunt sicut Sol. Affertur hæc auctoritas ex Sap. cap. 3. ad probandam claritatem corporum, quam habebunt Beati; ipsi enim habebunt quādam refulgentiam cum manifestatione sui corporis, sed non omnes habebunt eādem claritatem. *Scot. 4 sent dist. 49. qu. lit. A.* Cap. 13. 43.

Honora Patrem tuum, & Matrem &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam indignationem Christi Domini in Pharisęos, qui interpretabantur, quod si quis offerret

sub-

substantiam suam in templo, & non daret Patri egenti, seruaret præceptum, quoniam Deus est Pater spiritualis, quod Christus repræhendit, inquiens, *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. *Scot. 3. dist 30. qu. vn. lit. H.*

Cap. 15. 11. *Non, quod intrat in os coinquinat hominem*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum Pharisęorum scandalum, quod erat, quia Apostoli comedebant absque manuum lotione, quos redarguit, ac si Discipulis diceret, ne curetis, *quia cæci sunt*. *Scot. 4. sent. dist 3. qu. 4. lit. L.*

Cap. 15. 12. 14. *Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scãdalizati sunt? sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*. Affertur hæc auctoritas ad eorumdem Hebręorum, seu Pharisæorum scandala, quę non sunt data, sed accepta, reprehendendendum, & ideo non esse euitanda. *Scot. 3. sent. dist. 38. qu. vn. lit. E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad idem ostendendum, scandalum scilicet Hebręorum, quia, non lotio manuum, quam Hebręi reprehendebant, non erat ex genere, actus malus, & ideo nemo debuit scandalizari, nisi malè sentiens de libertate Euangelica. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. L.*

Cap. 15. 13. 14. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur*. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendũ, quod de scandalo Pharisæorum non sit curandum, sicut si quis scandalizaretur videndo Sacerdotem bis consecrare vinum, ratione erroris, non sciens causam, potius deberet approbare. Nam cum prima consecratio fuerit nulla ob defectum materiæ, secunda necessariò debet fieri, ob integritatem sacrificij, quæ necessariò requiritur. *Scot. 4. sent. dist. 8. qu. 3. lit. G.*

Cap. 16. 19. *Tibi dabo Claues Regni cælorum, & quodcumque ligaueris &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum ex sacra Scriptura, quod Sacramentum pœnitentię fuerit institutum à Domino, & non ab alio. *Scot. 4. sent. dist. 2. qu. 1 lit. D.*

Iterum affertur eadem auctoritas ex Hieronymo lib. 3. in cap. 16. Matth. in cuius expositione affert conformitatem inter Sacerdotes veteris legis in cognitione lepræ, & inter Sacerdotes nouę legis in discernendo peccata, quæ

quæ vera est, sed vltra hoc, datum est aliquod amplius Sacerdoti Euangelico, quia Sacerdos Leuiticus non erat Minister sanandi lepram, cui tanquam idoneo Deus assisteret ad lepram corporalem sanandam ex pacto; at Sacerdos Euangelicus est Minister idoneus, cui Deus ex pacto regulariter assistit ad spiritualiter sanandum à lepra, nisi impediat obex contrariæ voluntatis. *Scot. 4. sent. dist. 14. qu. 4. lit. a. A. L.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod non sit sufficiens probatiua, quod Confessio sit de præcepto diuino positiuo, quia talis est promissio de datione futura, ideo alia auctoritas est adducenda. *Scot. 4. sent. dist. 17. qu. 1. lit. F.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod quod cuilibet Sacerdoti in collatione Ordinis Sacerdotij, conferuntur Claues Regni Cælorum, scilicet potestas respectu Corporis Christi mistici. *Scot. 4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod sint duæ Claues, scilicet potestatis, & scientiæ, & quod possint de potentia absoluta separari ab inuicem, sed de hoc vide in Scoto Morali. *Scot. 4. sent. dist. 19. quæst. vn. lit. F. N.*

Quodcumque ligaueris super terram &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod per Sacramentum pœnitentiæ deleatur culpa, & hoc per Sacerdotem ministrantem. *Scot. 4. sent. dist. 14. qu. 4. lit. a. A.* Cap 16. 19.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod Christus statuit arbitrium pœnitentiæ esse vltimum in terris, quantum ad crimen confessum, quod erit solutum, & in Cœlis, idest finaliter, & vltimatè approbatum. *Scot. 4. sent. dist. 21. qu. 2. lit. F.*

Væ homini illi, per quem scandalum venit. Affertur hęc auctoritas ad ostendendum, quod vniuersaliter, secundum legem Euangelicam, vitanda sunt quæcumque scãdala pusillorum, non sic scandala Pharisęorum, quæ cum sint accepta, & non data, non sunt eodem modo vitanda. *Scot. 3. sent. dist. 38. qu. vn. lit. E.* Cap. 18. 7.

Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est. Affertur hęc auctoritas ad probandum custo- Cap. 18. 10.

custodiam Angelicam. Nam Glossa in hoc loco ait: *Cur non sunt contemnendi, quia pro eis quotidie mittuntur Angeli*, scilicet ad custodiam, quod fide tantum tenendum est. *Scot.2.sent.dist.11.qu.vn.lit.a.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad idem probandum ex Hieronymo, lib.3. in hoc cap. quod Angeli sint ad custodiam nostram deputati, sed præcipuè ab oppugnationibus Demonum; neque enim sine illis tuta posset esse vita mortalium. *Scot.2.sent.dist.11.qu.vn.lit.E.*

Cap.18. 15.17.18. *Si peccauerit in te Frater tuus, &c. Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesia non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo, & quæcumq soslueritis super terram, erunt soluta in Cœlo.* Affertur hęc auctoritas ad ostendendum duos reperiri foros, quorum vnus est secretissimus, alius verò publicus, cuius etiam iudicium Deus approbat. Secretissimus ille est, in quo idem est accusator, & reus, & ad istum pertinent Claues illę duę, scilicet potestatis, & scientię, de quibus sufficienter in Scoto Morali. *Scot.4.senten.dist.19.qu.vn.lit,K.*

Cap.18. 22. *Vsque septuagies septies.* Affertur hęc auctoritas, prout est responsum Saluatoris interrogationi Petri, qui quęsiuit, an tantum septies fratri peccanti deberet dimittere? super quam auctoritatem Augustinus ser.15. de verbis Domin.c.3. & infra, inquit, quod semper debemus fratri peccanti dimittere, quia *septuplum solet pro toto computari*; & sic quotiescumque peccauerit, & recognouerit, parcendum est ei, & sic pœnitentię Sacramentum Christus instituit; indèque probatur, quod ficto baptizato etiam pateat via suę salutis per veram pœnitentiam de fictione, quamuis rebaptizari non possit. *Scot.4.sent. dist.4.qu.5.lit.B.C.*

Cap.18. 34. *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod peccata dimissa redeũt in recidiuãte. Sed intelligitur de pœna damnationis, quam habuisset propter peccata priora, ac prius dimissa, & ęqualem habuisset, quantum ad durationem, non quantum ad intensionem; & sic potest dici, quod redeunt peccata, scilicet quantum ad obligationẽ dãnationis ęternę. *Scot.4.sen.dist.22.q.11.l.S.*

Sic

Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis &c. Cap.18.
Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod necessa- 35.
rium sit ex charitate diligere inimicũ, aliter Pater Deus
non parcet non parcenti. *Scot. 3. sent. dist. 30. qu. vn. lit. a. A.*

Non legistis &c. quia masculum, & fæminam fecit eos, (sup- Cap.19.
ple Deus) *propter hoc dimittet homo &c.* Affertur hæc 4 5.
auctoritas ad probandum, quod Sacramentum Matrimonij fuerit institutum à Christo, qui approbauit, & ratificauit, quod Deus in statu innocentiæ per os Adæ publicauit, & non solum approbauit, sed etiam Sacramentum instituit, scilicet vt esset gratiæ collatiuum. *Scot. 4. sent. dist. 2. qu. 1. lit. B.*

Iterum affertur hæc auctoritas expressiùs, sic, *Non legi-* Cap.19.
stis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fæ- 4. 6.
minam fecit eos, deinde, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, & est ad probandum, scilicet matrimonium fuisse institutum à Deo, & non ab Adam, & quamuis ante lapsum fuisset instituturus contractus matrimonij à Deo, tamen quantum ad Sacramentum, prout est signum efficax, Christus instituit, & coniunxit gratiosè Sacramentum contractui. *Scot. 4. sent. dist. 26. qu. vn. lit. a. A. K. S.*

Erunt duo in carne vna. Affertur hæc auctoritas ad osten- Cap.19. 5.
dendum, quod bigamia erat illicita, & etiam pro nunc, quia non est à legislatore dispensata, imo Matrimonium redactum ad legem naturæ, scilicet vnius cum vna. *Scot. 4. sent. dist. 33. q. 1. lit. E.*

Quod Deus coniunxit, homo non separet. Affertur hæc au- Cap.19.
ctoritas ad reprobandum repudium, & ad ostendendam 6.
inseparabilitatem coniugatorum ex causa principali, non ex causa instrumentali. *Scot. 4. sent. dist. 33. qu. 3. in fine.*

Dico autem vobis, quod, quicumque dimiserit vxorem, nisi Cap. 19. 9.
ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod repudiatio vxoris, etiam in lege Mosaica, fuit illicita. *Scot. 3. sent. dist. 33. qu. 3. lit. a. A*

Sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Cap.19.
Cœlorum, qui potest capere, capiat. Affertur hæc aucto- 12.

ritas ad ostendendum statum Virginitatis intelligi debere non tantum per carētiam actus, sed cum proposito continendi perpetuò, & hæc est diuisa contra castitatem coniugalem, quæ dicitur habere fructum centenarium. *Scot.4.sen.dist.31.qu.1.lit.C.*

Cap.19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod sacra Theologia sit sufficienter tradita, quia docet, & determinat ea, quæ sunt necessaria ad finem, & quod illa sufficiant, quia decem mandata sunt. *Scot.Prol.qu.2.lit.E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quomodo auersio sit communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinata se habet respectu alicuius necessarij ad finem, quod habetur à diuina voluntate præcipiente obseruari mandata. *Scot.2.sent. dist.37.qu.vn.lit.D.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod sufficiant, imo necessaria sint ad salutem Præcepta Decalogi,& quod non sit necessarium confiteri peccata sua. Tamen dicendum est Confessionem esse de precepto diuino positiuo, & reducitur ad illud Decalogi. *Diliges Dominum Deum tuum. Scot.4.sent.dist.17. qu.1.lit.a.A.G.*

Cap.19. 19. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Affertur eadem auctoritas ad probandum, quod dilectio sui est mensura dilectionis proximi, & hinc est, quod quilibet teneatur se diligere post Deum. *Scot.3.sent. dist.29. qu. vn. lit. a. A.*

Cap.19. 28. *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod futurum iudicium non erit vniuersale, quia Apostoli iudicabunt, non iudicabuntur: quod intelligendum est quantum ad disceptationem præcedentem sententiam, Apostoli non iudicabuntur, sed quantum ad sententiam Iudicij de præmio, iudicabuntur in Iudicio Vniuersali, vt hæredes illius Regni. *Scot.4. sent.dist.47.qu.1.lit.a.A.I.*

Cap.19. 28. *Acceperunt singulos denarios*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod æquale erit donum, & præmium in Paradiso Denarius tamen hic accipitur pro essen-

essentia, quæ est idem obiectum omnium beatorum, & datur omnibus sub æquali ratione, scilicet sub ratione infinitatis ex parte obiecti, quamuis sit aliqua disparitas ex alio capite. *Scot.4.sent.dist.50.qu.5.lit.a.A.K.*

Tolle quod tuum est, & vade &c. An non licet mihi, quod volo facere? Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in his, quæ fiunt ex gratia, sine debito, potest absque omni iniquitate Deus dare, prout vult; sic ad aliorum assertum refert *Scot. 1. senten. dist. 41. qu. vn. lit. a.A.* Cap. 20. 14.

Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Christus non meruit omnibus gratiam, & gloriam, quia tunc omnibus gratia, & gloria conferretur, quod est falsum, quia non omnes sunt salui, secundum dictam auctoritatem. Sed hoc debet intelligi quantum ad efficaciam, quia ex intentione acceptantis, & offerentis passionem, seu bonum velle Christi, fuit accepta, & oblata pro electis, & prædestinatis tantum, sed pro alijs sufficienter. *Scot.3 sent.dist.19 qu.vn.l.a.A.D.* Cap. 22. 14.

Erunt sicut Angeli Dei in Cælo. Affertur ista auctoritas ad probandum, quod Angeli localiter moueantur. Nam Anima beata mouetur, imo anima Christi beatissima mouebatur localiter, hinc etiam Angeli, quibus beatorum animæ assimilantur; mouentur. *Scot. 2. sent. dist. 2. qu.2.lit.a.B.* Cap. 22. 30.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandam, quod Beatus loquitur alteri homini beato, sicut Angeli inter se loquuntur. *Scot.2.sent.dist.11.qu.vn.l.F.*

Iterum affertur hæc auctoritas ad probandum perpetuitatem beatitudinis, quam habebant homines in Cœlo. Nam, vt dicit Augustinus 13. lib. de Trinit. cap.8. *Beata vita sine immortalitate esse non potest &c. Nullo modo esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna*; quia si amitti posset, non esset beatus. *Scot.4.sent.dist. 49.qu.6.lit.A.*

Diliges Dominum Deum tuum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod diligere Deum super omnia, est actus conformis rationi naturali rectæ, quæ dictat optimum esse summè diligendum, & talis actus dilectionis est na- Cap. 22. 37.

 turali-

turaliter notus. *Scot.3.senten. distinct.27.quæst.vn.lit. A.N.*

Cap.22. 39. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quilibet ex charitate fraterna debet seruare silentium de peccato in cōfessione detecto, quia sicut quilibet vult suam seruare famam, sic debet seruare famam proximi, quod non fieret, si posset confessarius reuelare peccata, quæ audiuit in Confessione. *Scot.4.sent.dist.21.qu.1.lit.D.*

Cap.22. 40. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quam sit rationabile diligere Deum, tamquam finem vltimum super omnia, & proximum suum sicut se ipsum, in obseruantiā legis. *Scot. Prolog.sent.qu.2 lit.B.*

Iterum affertur hæc auctoritas ad ostenddēdū, & probandū, quod sacra Theologia sit prattica, cum consistat in actibus dilectionis, qui non sunt actus intellectus, sed voluntatis. *Scot. Prolog.sent.qu.4.lit.a A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum,* est primum inter alia præcepta, ad cuius actum eliciendum tenetur quandoque voluntas. *Scot.2.sent.dist.28.quæst.vn. lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod sicut præcepta secundæ tabulæ includuntur in hoc, *Diliges Dominum Deum tuum,* sic præcepta secundæ tabulę includuntur in hoc alio præcepto, *Diliges proximum sicut te ipsum*, & ideo tota lex dilectionis, & amoris pendet ab his duobus. *Scot. 3.sent.dist.27 quæst. vn. lit.E.*

Cap.23. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod quamuis liceat quandoque contemnere tam consilium, quàm pręceptum alicuius Superioris, idest iudicare infructuosum, & irrationabile, non tamen licet contemnere præceptum, seu Consilium Superioris Prælati. *Scot. 4. sent.dist.3.qu.4.lit.F.*

Cap.23. 18. *Quid enim maius est aurum, an Templum, quod sanctificat aurum?* Affertur hęc auctoritas contra Hebręos, qui dicebant, quod maius sit iurare per aurum templi, quàm

per

per templum,& est pro argumento ad probandum,quod iurare per Deum , sicut communes personæ tota die faciunt, sit peccatum mortale ; quod verum est, supposita deliberatione , sed sublata deliberationem, non est sic . *Scot.3.sent.dist.39.qu.vn.lit.a.A.P.*

Quoties volui congregare filios tuos , quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas , & noluisti ? Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum,quod voluntas beneplaciti Dei non semper adimpleatur,quæ sic debet intelligi , secundum Magistrum in hac 46. dist.1. lib. Non quod quasi Dominus voluerit colligere filios Ierusalem, & non sit factum. Sed *quoties volui congregare filios tuos , & noluisti , idest quotquot congregaui mea voluntate semper efficaci,te nolente, feci,* quæ expositio valde commendatur *à Scot.* 1.*sent. dist.*46. *qu.vn. lit a. A A.* Cap.23 37.

Qui autem perseuerauerit vsque in finem , hic saluus erit . Cap.24 13. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod quicunque pro tota mora viæ manet in merito, necessario in termino erit beatus, quia si posset tunc ponere obicem in vno instanti , non fuisset terminus: & hoc asseritur de Angelis, quare boni steterunt , & mali ciciderunt. *Scot.* 2.*sent.dist.*5.*qu.*2.*lit.M.*

Mittet filius hominis Angelos suos cum tuba , & voce magna,& congregabunt electos eius,à quatuor ventis à summis Cœlorum , vsque ad terminos eorum . Cap.24. 31. Affertur hæc auctoritas ad probandam vniuersalem Resurrectionem , quæ intelligitur sic, quod quocumque dispersæ fuerint partes materiæ corporis, in elementa , siue in ignem , siue in terram , *è summis cælorum, vsque ad terminos eorum,* siue in quodcumque corpus medium, aqueum, aereum , vel imperfectè mixtum , *à quatuor ventis* , omnes materiæ partes recolligentur, & reunientur. *Scot.*4.*dist.* 43.*qu.*5 *lit. A.*

Venite benedicti Patris mei , possidete paratū vobis regnum . Cap.25. 34. Affertur hæc auctoritas ad probandum,quod omnes filij Dei iudicabuntur in iudicio vniuersali , vt hæredes illius regni ad possidendum, non autem quantum ad disceptationem præcedentem ad sententiam. *Scot.*4.*sent. dist.*47.*qu.*1.*lit.I.*

Disce-

Cap.25. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod ignis inferni cruciet malignos spiritus, quæ cruciatio est per detentionem formalem ab igne, & detentionem actiuam diuinæ voluntatis determinantis ad locum illum, quam detentionem suam passiuam à Deo, & actiuam ipsius Dei, ac etiam formalem perpetuam ab illo igne; spiritus malus odit apprehendendo illam continuandam, de qua spiritus tristatur. *Scot.* 4. *sent.dist.* 44. *qu.*2.*lit. a.A.E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probãdum, quod corpora damnatorum hominum, post iudicium vniuersale cruciabuntur igne inferni. *Scot.* 4. *sent. dist*, 44. *qu.* 3. *lit.a.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ast ostendendum idem, quod supra; Nam sicut Beati non iudicabuntur quantum ad disceptationem iudicij antecedentem ipsi sententię, sic neque infideles, qui iudicabuntur tantum ad sententiam, & pœnam, vt membra carceris, sicut Beati, vt hęredes regni. *Scot.*4. *sent.dist.*47.*qu.*1.*lit.I.*

Iterum affertur eadem sententia, ad ostendendum, quomodo accipiatur æternum, quia non accipitur strictè, quatenus contradistinguitur ab æuiterno, sed accipitur pro æuiterno perpetuo permanente. & in Scriptura sacra passim est huiusmodi intelligentia. *Scot.*4.*sent. dist.* 49.*qu.*6.*lit.L.*

Cap.25. 46. *Ibunt hi in supplicium æternũ.* (loquendo de peccatoribus) *Iusti autem in vitam æternam.* Affertur hęc auctoritas ad ostendendam potentiam Dei ordinatam, quæ conformis est regulis à diuina sapientia, vel potius à Diuina voluntate prædeterminatis, quæ rægulæ colliguntur ex auctoritatibus sacræ Scripturæ, & præcipuè ex ista. *Scot.* 2.*sent.dist.*7.*qu.vn.le AM.*

Iterum affertur eadem auctoritas cum declararione vocis *æternum*, eo modo, quo dictum est, scilicet, quatenus non est contradistinctum ab æuo, & à tempore perpetuo. *Scot.ibid.lit.L.*

Cap.26. 5. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Affertur hæc auctoritas pro veritate Paschæ. Nam contraria opinio, sicut dictum est, aiebat, tunc temporis, non reperiri

periri Azima, sed fermentatum, scilicet in 15. Luna, in quo die, quia erat Paschæ dies, nolebant Iudæi occidere Iesum, nihilominus (vt diximus,) prima die Azimorum Christus comedit Pascha, & Sacramentum Eucharistiæ instituit, quando non fermentatum, sed Azima, comedebatur. *Scot.* 4. *sent. dist.* 11. *q.*6.*lit. A.*

Prima die Azimorum accesserunt discipuli &c. vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Affertur hæc auctoritas ad idem probandum, scilicet, quod Sacramentum Eucharistiæ fuerit institutum Luna quartadecima. *Scot.ibid.* Cap.26. 17.

Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod aliquis secundum rectam rationem, ad fugiendam miseriam, possit appetere non esse; sed intelligitur, quod potius debuisset eligere se non fuisse creatum à Deo, quam fecisse illud malum. Vel potest exponi, *Si natus non fuisset,* extra vterum, quia melius sibi fuisset, quod esset mortuus in vtero. *Scot.*4.*sent. dist.*50. *qu.vn. lit.A.E.* Cap26. 24.

Hoc est corpus meum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod corpus Christi veraciter continetur sub speciebus panis, & vini. *Scot.* 4. *senten.dist*10. *quæst.*1. *lit. a.A.* Cap. 26. 26.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod panis conuertatur in corpus Christi, & vinum in sanguinē; aliter sentire esset hæreticum; hinc non dicit, *hic est*, *sed*, *hoc est*. Si autem panis substantia maneret, nihil panis annihilaretur, aut conuerteretur, & verius diceretur, *hic est*, quam, *hoc est corpus,&c.* Sic inquit Ocham in hoc 4. sent. & alibi Attamen si panis maneret, adhuc pronomen, *hoc*, significaret, quod est contentum sub pane; hinc dicendum, (vt alibi dictum est) quod illud pronomen *hoc*, non demonstrat panem, neque accidentia, sed singulare entis, ideo vsus est hoc vocabulo, quod exprimit veritatem, *Scot.*4.*sent.dist.*11.*qu.*3.*lit.B.*

Noui, & æterni testamenti, &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum congruum fuisse, legem Euangelicam perfectissimis Sacramentis adornari, quia lex Euangelica perfectissima lex est, quam diuinitùs Deus disposuit dare homini pro statu viæ. Est enim vltima, & dicitur *Noui, & æterni testamenti,* post quod, nullum aliud Cap.26. 28.

est

est futurum. In processu enim ab imperfecto ad perfectum, posteriora sunt perfectiora. *Scot.4.sent.dist.2.qu.1.lit.A.*

Cap.26. 52. *Omnes, qui gladium acceperint, gladio peribunt.* Affertur hęc auctoritas ad ostendendum, quod lex Talionis est rationabilis, quia non solum competit legi Mosaicæ, sed etiã legi naturæ, & approbatur, & confirmatur in lege Euãgelica. *Scot.4.sent.dist.15.qu.3.lit.F.*

Cap 27. 19. *Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Dæmones, postquam cognouerunt Christum Dominum esse verum Deum, non amplius persuaserunt Iudæis illius mortem, sed potius contrarium; Bene tamen voluissent Christum mori sine redemptione humani generis, si fieri potuisset. *Scot. 2. sent. dist. quæst. vn. lit. F.*

Cap.27. 50. *Clamans voce magna emisit spiritum.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod in potestate animæ Christi fuit non mori ex violentia passionis, quia ille clamor validus in illa hora mortis fuit per miraculum, ex potentia Diuini Verbi. Sed quod anima separata fuerit per violentiam passionis, hoc fuit naturale, supposito primo miraculo de non redundantia gloriæ in corpus Christi. *Scot.3.sent.dist 16.q.2.lit.a.A.I.*

Cap.vlt. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non solum Christus habet dominium super homines, sed etiam super omnes creaturas; quod dominium, & ordinariam potestatem acquisiuit per suam passionem. *Scot.4.sent.dist.48. qu.1. lit.a.A.*

Cap.vlt. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Christus instituit Sacramentum Baptismi. *Scot.4.sent.dist.2.qu.1. lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod Christus, si contulit Discipulis potestatem conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, ac etiam absoluendi, dedit etiam potestatem baptizandi, quia Ordo Sacerdotij supponit Baptismum. *Scot.4.sent.dist.4.qu.6.lit.B.*

In nomine Patris, & Filiy, & Spiritus sancti. Affertur hęc auctoritas ad probandam Trinitatem personarum in es-

sentia

sentia diuina, quod etiam potest probari, aliquo modo sic, quod sint tantum duæ personę productæ, & vna improducta. *Scot.1.sent.dist.2.qu.5.lit.a.A.T.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod tota veritas fidei, quæ de Trinitate tenenda est, fuit expressa à Saluatore, nominando tres personas nominibus relatiuis, non absolutis. *Scot.1.sent.dist.26.qu.vn.lit.I.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandam necessitatem formæ in Sacramento Baptismi, quibus verbis exprimitur, actus, & suscipiens, sicut in alijs, scilicet in nomine Patris, & Filij &c. Exprimuntur ea, quæ sunt necessario, & præcisè pertinentia ad illam formam. *Scot.4.sent.dist.3.qu.2.lit.E.*

MARCVS.

ET vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Affertur hæc auctoritas ad significandam institutionem Sacramenti Extremæ Vnctionis; constat enim, quod hoc non fecerint Apostoli, nisi in virtute Christi, qui iam instituerat illam virtuosam Vnctionem. *Scot.4.sent.dist.4. qu.1.lit. D.* 6.Marc.13

Prima die azzimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod die azimorum prima, scilicet 14. luna, comedit Agnum Paschalem. & Apostoli comederunt Agnum verum, nempè Christi corpus. *Scot.4.sent.dist.2.qu.6.l. A.* Cap.14.12

Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò nō crediderit, condemnabitur. Affertur hęc auctoritas pro argumento ad probandum, quod paruuli nō possunt credere, & sic non possunt saluari, vnde sequitur quod Baptismus sit frustra; sed sciendum est, quod secunda pars auctoritatis intelligitur de Adultis, (de quibus etiam intelligitur prior pars) non de paruulis; vel potest dici quod intelligatur, de illis, qui neque actu, neque habitu credunt. Paruuli si non possunt habere Fidem in actu, habere possunt in habitu, hoc sufficit. *Scot.4.sent.dist.4.qu. 1. l.a. A. A.* Cap.16.16

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod Sa-

cramentum Confirmationis, non est simpliciter necessarium ad salutem. Nam adultus debet hoc Sacramentum suscipere, idest non contemnere, & pro tempore congruo suscipere in effectu; indicaretur enim contemptum, si omnimoda oportunitate oblata, non susciperetur. *Scot. 4. sent. dist. 7. qu. 2. l. A.*

L V C AE.

1. Luc. 31. ECce concipies in vtero, & paries filium. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Beata Virgo fuerit verè Mater Dei, & hominis, quæ potest dici, naturalis, & miraculosa, naturalis quantum ad virtutem potentiæ Virginis, qua operabatur in conceptu filij; quantum autem ad modum procedendi in illa generatione, vel quia subita, vel quia motus præcedentes ipsam generationem fuerunt breuissimo tempore, dicitur miraculosa. *Scot. 3. sent. dist. 4. qu. vn. li. a. A. G.*

Cap. 2. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Affertur ista auctoritas ad probandum B. Virginem Mariam fecisse absolutè votum virginitatis, quia non solum ipsa Beata Virgo, non cognouit virum, imo firmissimè disposuerat vel vouerat nunquam se cognoscendam à viro. *Scot. 5. sent. dist. 30. qu, 2. lit. C.*

Cap. 1. 35. *Spiritus Sanctus superueniet in te &c.* Affertur hæc auctoritas, & sunt verba Gabrielis Archangeli, ad cōfirmādū intellectum verborum Mariæ Virginis, vt supra. *Quomodo fiet istud. &c. Scot. ibid. lit. D.*

Cap. 2. 4. *Eo quod esset de Domo, & de familia Dauid.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod B. Virgo Maria non contraxit verum Matrimonium cum sanctissimo Ioseph, quia Maria de Tribu Leui, & Ioseph erat de Tribu Iuda. Sed dicendum est quod lex prohibebat filias Saphat, & hoc, ne transiret possessio de Tribu in Tribum, ad quas deuoluebatur, Patre mortuo. At Beata Virgo non fuit sic hæres, ideo poterat viro alterius tribus nubere. Nihilominus dicendum est, quod Beata Virgo fuit de Tribu Iuda, ex parte Patris, & de Tribu Leui ex parte Matris. Ioachim enim descēdit ex Nathen filio Dauid, ideo poterat nubere Ioseph. *Scot. 4. sent. dist. 30. qu. 2. lit. a A. E.*

Post

Post quam consummati sunt dies octo. Affertur hæc auctoritas ex Beda in hoc loco pro argumento, quia vt in hac dist. Magister inquit in Lucæ Beda expositione volebat quod Circumcisio non aperiret Circumcisis Paradisi Ianuam. At Doctor ait, quod non fuit defectus Circumcisionis, quod non aperuit, sed quia concurrit tempore, quo pretium non fuit solutum, nam post solutum pretium, potuit alicui aperiri Ianuam, qui non fuisset baptizatus, sed solum circumcisus, & in gratia. *Scot. 4. sent. dist. 1. qu. 6. l. a. A. M.* Cap. 2. 20.

Iterum affertur eadem auctoritas ex Beda ibidem, supra quam, vti Magister sentit, vult quod in Circumcisione, ex vi Circumcisionis conferebatur gratia, & valebat magnis, & paruis in Populo Dei, ad purgationem culpæ originalis in illa lege, sicut Baptismus in nostra lege Euangelica. *Scotus ibid. l. a A.* Beda.

Cum factus esset Iesus annorum duodecim. Affertur hæc auctoritas ex Origene vel ex alio super hunc textum, vbi dicit Christum habuisse potentiam motiuam non organicam, & quoad habitum, & quoad actum, secundum quam Christus, lapsus est de manibus Iudeorũ, & de manibus suorum parentum, qua etiam potentia potuit vti Christus in Sacramento Eucharistiæ, mouendo species illas, vel hostiam, & forte aliquando hostia mota est à Christo immediatè. *Scot. 4. sent. dist. 10. qu. 7. l. F.* Cap. 2. 42.

Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Christi Anima non nouerit omnia in verbo, sed Doctor ait, quod non profecit Iesus secundũ apparentiam, sed realiter, quoniam, vt inquit Augustinus lib. 83. quest. qu. 80 Euangelistæ narrant historiam, & eorum verba vera sunt, vt exprimuntur, non sic autem de alijs sermonibus Sacræ Scripturæ, & sic profecit Iesus. quia in eo aliquis sensus verè profecit; non quod acquisiuerit aliquorum cognitionem abstractiuam habitualem, sed intuitiuam, tam actualem, quam habitualem *Scot. 3. sent. dist. 14. qu. 3. lit. a. A. D.* Cap. 2. 52.

Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam legem naturæ de charitate fraterna. *Quæ vultis vobis*, idest, quæ Cap. 6. 31.

debetis secundum rectam rationem velle vobis, hoc etiam debetis alteri velle, & præcipuè in Cælatione peccati confessi, de quo agitur. *Scot.4.sent dist.21.q.2.l.D.*

Cap.6. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quàm detestabile sit vsuræ crimen, quod vtraque, lege prohibetur, & noua, & veteri; sicut alibi diffusè dictum est, *Scot.4.sent.dist.15.qu.2.l.Y.*

Cap.6. 36. *Estote misericordes &c.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino serm.109. de tẽpore vbi loquens de damnatis inquit, *Erit enim ibi pænitentia, sed infructuosa*, & inde formatur argumentum ad probandum, quod pænitentia non valeat ad deletionem peccati, sed non probat, quia damnatorum pænitentia non est vera, cum non sit voluntaria, sed cum remurmuratione. *Scot.4.sent.dist.14, qu.1. l.a. A. Z.*

Cap.7. 43. *Aestimo quod is cui plus donauit, & ille dixit ei, rectè iudicasti.* Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod peccator plus teneatur Deo, quia illi plura dimisit, quam innocens, cui nihil dimittit, vel donat. Nihilominus dicendum est, quod si donare accipiatur absolutè, pro vt est actus voluntatis liberaliter communicantis, maius donum dat innocenti; si autem accipiatur donare, pro condonare, siue remittere, vt accipitur in ista auctoritate, plus donat pænitenti, sed non ex hoc pænitens magis tenetur; maius donum est nunquam cecidisse, quod fit per præseruationem diuinæ gratiæ, *Scot.4.sent.dist.22.qu.2.l.O.*

Cap.7. 48. *Cui minus dimittitur minus diligit.* Affertur hæc auctoritas affirmatiuè, *cui magis dimittitur, magis diligit*, ad probandum, quod æqualiter, tenetur illa persona cui remittitur, sicut illa, quæ præseruatur à peccato, nam omnia possibilia committi, non commissa sunt dimissa, ac si essent commissa ex Augustino, qui lib.2. Confess. c.7. ait, *Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ, te duce, non feci*, quod dicitur de B.Virgine Maria quæ fuit à peccato originali præseruata, & valde de Innocentia tenetur Christo. *Scot.3.sent.dist.3.q.1. l.a. A.*

Cap.10.1. *Misit illos binos ante faciem suam.* Affertur hæc auctoritas ex Gregorio hom.17. in Lucam, ad ostendendam charitatem,

tem, qui ait *nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur, sed dilectio in alterum tendit, vt charitas esse possit.* Quoniam dilectio debet considerari in ordine ad Deum, & qui diliget se, etiam talis charitas tendit in alterum, nempe Deum, tanquam in obiectum principale actus, licet non in obiectum finale, sed proximum ordinatum ad obiectum vltimum, quod est ab ipsomet diligente distinctum. *Scot. 3. sent. dist. 29. qu. vn. l. a. A. B.*

Hoc fac, & viues. Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod confessio peccatorum non sit necessaria, sed sufficiant præcepta Decalogi. At Doctor dicit quod præceptum de confessione facienda reducitur ad aliquod præceptum Decalogi, vt dictum est in Scoto morali. *Scot. 4. sent. dist. 17. qu. vn. l. a. A. Y.* Cap. 10. 28

Plagis impositis. &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod peccatum vulnerat Animam in naturalibus, ex Glossa in hoc textu Lucæ. *Peccator vulneratur in bonis naturæ*, quod debet intelligi, inquit Doctor, non quod amittat per peccatum aliquam partem sui, sed quatenus fit inhabilis ad vsum rectum, quod fit per crebram carentiam rectitudinis actualis, sicut naturaliter vulneratus redditur inhabilis ad suas operationes. *Scot. 2. sent. dist 37. qu. vn. l. E.* Cap. 10. 30

Quis est meus proximus? &c. qui fecit misericordiam in illum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, pro argumento, quod inimicus non sit diligendus, quia, cum non possit bene facere, sicut fecit vir, qui vulneratum curauit, non potest dici proximus, quod est falsum, quia ita proximus est, qui facit Eleemosinam, sicut proximus, qui eleemosinam recipit, cum proximus dicat relationem æquiparantiæ, & sic etiam extraneus, cui possumus seruire in necessitate, est proximus. *Scot. 3. sent. dist. 30. qu. vn l. a. A. G.* Cap 10. 37

Vade, & tu fac similiter. Affertur hæc auctoritas ad probãdam eamdem veritatem, idest, quod debeamus habere pro proximo omnem, cui possumus benefacere, estò sit extraneus; quia non solum benefaciens est proximus, sed etiam omnis potens bene pati à nobis. *Scot. ibid. l. G.* Cap. 10. 37

Vide ergo ne lumen, qaod in te est, tenebræ sint. Affertur hęc auctoritas ad probandum pro argumento, quod intentio. Cap. 11. 35

tio.

tio sit actus intellectus, non voluntatis; quia oculus, & lumen pertinent ad intellectum. Et Glossa in hoc cap. Luc. exponit hanc auctoritatem de intentione, dicens. *Ipsa intentio, quæ Animæ lumen asseritur*, quod intelligendum est de visione præcedente actum voluntatis; quia hæc non vocatur vera intentio, cum non sit, neque elicita, neque imperata à voluntate; sed de visione sequẽte actum voluntatis, aliter sentiendum est; quia hæc est intentio, & est libera à voluntate proueniens, quia voluntas potest intellectum conuertere, & auertere ab obiecto. *Scot. 2. sent. dist. 36. qu. vn. l. a. A. G.*

Cap 12. 4. 5 *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, post hæc non habẽt amplius quid faciant. timete eum, qui &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod resurrectio mortuorum per naturalem rationem, vel à priori, vel à posteriori, non potest demonstrari, sed solummodo per fidem, & per Euangelium. *Scot. 4. sent. dist. 43. qu. 2. l. X.*

Cap. 12. 35 *Sint lumbi vestri præcincti.* Affertur hæc auctoritas ex Gregorio homil. 13. in Luc qui docet quod in viris luxuria in lumbis est, & est ad probandam rationem, quare in lumbis datur extrema vnctio, lumbi enim sunt organum potentiæ, in qua quis delinquit *Scot. 4. sent. dist. 23. qu. vn. l. C.*

Cap. 13. 3. 5. *Si pænitentiam non egeritis omnes simul peribitis.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod pænitentia necessario requiritur ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi *Scot. 4. sent. dist. 14. qu. 1. l. a. A.*

Cap. 14. 13 *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam tertiam speciem Iustitiæ, quæ est quantum ad exteriora communicanda, scilicet misericordia, quæ perfectior est liberalitate. *Scot. 3. sent. 34. qu. vn. l. N.*

Cap. 16. 25 *Fili recordare, quod recepisti bona in vita tua.* Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod anima separata possit recordari præteritorum, quę ipsa nouerat coniuncta. *Scot. 4. sent. dist. 45. qu. 3. l. a. A.*

Cap. 17. 5. *Domine adauge nobis fidem.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod fidei infusę habitus ponitur, non solum propter gradum in actu, sed etiam propter assensum qui assensus non est totaliter à voluntate, sed etiam ab ha-

habitu infuso. Aliqui enim sunt qui vellent magis assentiri creditis, & tamen minus assentiuntur; hinc petitur fidei augumentum per orationem, *Da nobis fidei, spei, & charitatis augumentum.* Scot. 3. *sent. dist.* 23. *q. vn. l.* G.

Mandata nosti. Affertur hæc auctoritas pro argumento, ad probandum, quod non sit necessarium ad salutem peccatori confiteri omnia sua peccata suo sacerdoti, sed sufficiant solum præcepta Decalogi. Sed de hoc dictum est superius. *Scot.* 4. *sent. dist.* 17. *qu. vn. lit. a. A.* Cap. 18. 20

Ecce ascendimus Iarosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Affertur hæc auctoritas ad comprobandum, quod verba Christi in Cruce scilicet. *Consummatum est.* Ioan c. 19. 30. intelligi debeant consummatione illorum quæ scripta erant per Prophetas de Christo Domino. *Scot.* 4. *sent. dist.* 3. *q.* 4. *lit. N.* Cap. 18. 31

Capillus de capite vestro non peribit. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in resurrætione, erit restauratio de toto. Caro enim resurget ad integritatem, non solum quantum ad veritatem totius, sed etiam quantũ ad veritatem partis. *Scot.* 4. *sent. dist.* 44. *qu.* 1. *lit. a. A.* S. Cap. 21. 18

Vidua hæc paupercula plusquam omnes misit. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod ad sacrificium requiratur etiam voluntas, & affectus offerentis, quia, vt dicit Gregorius hom. 5. in Matth. *nec perpendit quantum in eius Sacrificio, sed ex quanto proferatur, scilicet affectu,* sed de hoc dictum est supra. Scot. *Quelib. qu.* 20. *lit.* O. Cap. 21. 21

Venientem in nube cum potestate magna, & maiestate. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Christus Dominus in futuro vniuersali Iudicio veniet iudicaturus in forma gloriosa, quod conceditur. *Scot.* 4. *sent. dist.* 48. *qu.* 1. *lit. a. A.* Cap. 21, 27

Venit dies Azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Ioannem, dicens, euntes parate nobis, vt manducemus. &c Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod prima die Azimorum scilicet 14. luna Christus comedit Agnum Paschalem, & quod cum Azimo manducauit, & quod in Azimo Ecclesia Romana rite conficiat Sacramentum Eucharistiæ, quoniam sic Christus confecit. *Scot.* 4. *sent. dist.* 2. *qu.* 6. *lit. A.* Cap. 22. 7, 8.

Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Affertur hæc Cap. 2

auctọ-

auctoritas ad probandam veram existentiam Corporis Christi in Sacramento Altaris, non figuratiuè, sed realiter se Christus tradidit nobis. Nam veritas scripturæ ex antecedentibus, vel consequentibus scripturæ verbis probatur. *Scot.4.sent.dist.10.qu.1.lit.A.*

Cap.22.19 *Hoc facite in meam commemorationem*. Affertur hæc auctoritas ad probandum Christum Dominum instituisse Sacramentum ordinis. *Scot.4.sent.dist.2.qu.1.lit.E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod Christus Dominus non solum ipsemet confecit sed etiam instituit, quod à Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, deditque per illa verba, auctoritatem, & potestatem conficiendi. *Scot.4.sent.dist 8.qu.1.lit.A.*

Iterum affertur hæc austoritas ad ostendendum illa eadem verba uon pertinere ad formam consecrationis, sicut nec illa verba, *Accipite, & comedite. Scot.4.sent.dist.8.qu.2.lit. B.C.*

Iterum affertur eadem auctoritas. quam refert sub nomine Matth. ad probandum, quod solummodo Sacerdotes possunt conficere Sacramentum Eucharistiæ qui ritè fuerint ordinati secundum Claues Ecclesiæ, & Christi Domini institutione. *Scot.4.sent dist.13.qu.2 lit B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod in Missa repræsentatur oblatio, quam Christus fecit in Cruce, vt scilicet per eam Deus acceptet Sacrificium Ecclesiæ. *Scot.Quolib.qu.20.lit.P.*

Cap.22.20 *Hic est Calix in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Affertur hæc auctoritas ad probandam veritatem existentiæ sanguinis Christi in Sacramento Altaris, quia, vt dictum est, realiter Sangnis Christi est in Calice, sicut realiter Sanguis Christi effusus est pro nobis ita scripturę verba antecedentia, & consequentia ostendunt. *Scot 4. sent.dist.10.qu.1.lit.A.*

Cap.22.32. *Ego rogaui pro te*(Petre)*vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum stabilitatem Sacræ Scripturæ sed diuino auxilio, Hinc Augustinus considerans tantam hominum multitudinem ad peccata pronam, & ad legem carni, & sanguini contrariam seruandam, fuisse inductam, lib.de vtilitate credendi c.17.inquit, fuisse Dei, auxi-

auxilio, Imperitum etiam vulgus marium fœminarumq; in tam multis *diuersis gentibus*, *& credit*, *& prædicat &c.* Scot. *Prolog. sent. qu.2. lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod nunquam erit Ecclesia militans sine aliquo, qui sit in charitate, ex ordinatione diuina, hinc Ecclesiæ stabilitas manifestatur. *Scot. Quolib. qu.20. lit.P.*

Fleuit amare. Affertur hæc auctoritas ex Ambrosio in hoc textu Luc. dicente, prius, *lachrimas eius* (idest Petri) *lego, satisfactionem non lego. Lauant lacbrymæ delictum, quod voce, pudor est, confiteri.* Hinc arguitur, quod non sit necessarium Peccatori confiteri peccata sua; quæ Ambrosij sententia sic intelligitur. Contritio potest esse tanta, quod in ea, ante Confessionem deleatur peccatum, quod tamen est ita graue, quod confessio eius sequens sit pudorosa; non intelligitur, quod sine confessione pudorosa, vel in actu, vel in habitu, lauetur delictum Scot. 4. *sent. dist* 17. *qu.1. lit.a.A.X.* Cap.22.62

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt, Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non semper voluntas creata sit bona moraliter, quando conformatur voluntati increatæ. Quia iam Iudæi voluerant Christum pati, & tamen ipsi peccauerunt, quia bonitas moralis debet esse ex integra causa, scilicet ex omnibus circumstantijs, sicut non fuit mors Christi ad intentionem Iudæorum. *Scot. p. sent. dist.48. qu. vn. lit.a.A.A.* Cap.23.54

Palpate & videte. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum pro argumento, quod Corpus Beati post resurrectionem non erit impassibile, quia quod palpatur, corrumpitur, quod verum est quando palpabile palpatur secundum aliquam qualitatem sensibilem immutando tactum, bene est corruptibile sibi derelictum, & sic posset concedi, quod corpus beati esset corruptibile, si non præseruaretur à Deo. Tamen corpus beati, non palpatur immutando tactum per aliquam qualitatem sensibilem sibi derelictam, quia nec per durum, nec per molle aut per calidum, vel frigidum palpatur, & ideo nequit dicit corruptibile, nec potest corrumpi. Scot. 4. *sent. dist.* 49, *qu.13. lit.a.A.G.* Cap.24.39

Vos autem sedete in illa Ciuitate, donec induamini virtute Cap.24.49

ex alto. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum tempus Baptismi, quando erat sub præcepto. Et in Ierusalem fuit die Pentecostes, quando Apostoli, misso Spiritu Sancto, solemniter prædicauerũt. *Scot.4.sẽ.dist.3.qu.4.lit.H.*

IOANNIS

1. Ioan. 1. IN *principio erat Verbum.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino lib.83.quest.63. qui exponens vocem græcam, logos inquit: *Verbum quod Græce dicitur Latinè & rationem, & Verbum significat, sed hoc loco melius Verbum interpretamur vt significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt operatiua potentia.* Doctor ait, quod quatenus dicit respectum ad Patrem, debet intelligi de eo, quod primo, & principaliter significatur; & quatenus dicit respectum ad creaturas, debet intelligi significari, pro connotato. *Scot.Quodlib.qu.8.lit.Q.R.*

Cap. 1. 3. *Sine ipso factum est nihil.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino in Ioan; c.1.tract.1.dicente, *Peccatum nihil est,* & ponitur ad probandum, quod cum peccatum sit nihil non possit esse corruptio boni, quod intelligendum est effectiuè, bene tamen est demeritoriè corruptio gratiæ. *Scot.2.sent.dist.35.qu.vn.lit.a.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod peccatum non sit à Deo, idem dicit Augustinus vbi supra, *Peccatum quidem non per ipsum factum est.* Sed quomodo concurrat Deus ad peccatum dictum est supra. *Scot. 2.dist.37.qu.vn,lit.a.A.*

Cap. 1. 4. *In ipso vita erat* Affertur hęc auctoritas ex Augustino sic dicente, vbi supra. *Si enim omnia in ipso facta sunt, omnia vita sunt,* per quam vitam intelligit non vitam creatam, æternam, sed vitam creatricem. hinc tanquam per argumentum probatur, quod Deus cognoscat alia à se per distinctas rationes cognoscendi relatiuas, nõ absolutas: quod non est dicendum, quia per eamdem rationem cognoscendi illimitatam potest cognoscere omnia ea, ad quæ est illimitata, & præsertim cum sit ratio eminentior continens perfectè similitudinem virtualem obiecti cogniti. *Scot.p.sent.dist.35.qu.vn.lit.a.A.N.*

Vita

Vita erat lux hominum &c. Affertur hæc auctoritas ex Augustino, tract,p.in Ioan.vbi lopuens de Ioanne Baptista dixerat. *Orat.enim iste Ioannes de illis montibus, de quibus scriptum est. Suscipiant mentes pacem populo, & colles iustitiam.* Per pacem intelligit sapientiam qua maiores illustrantur: appellat iustitiam fidem, qua illuminantur minores. Vult enim ibi, quod maiores in Ecclesia habeant scientiam cum fide, minores fidem tantum. Quod sic intelligitur, scilicet, quod minores habeant fidem implicitè de omnibus credibilibus, maiores autem explicitam non per aliud lumen,quia semper illa expositio, quam afferunt maiores ad illuminandum minores, est per lumen fidei, & ideo non habent alium habitum scientificum diuersum à fide.*Scot.3.sent.dist.24. qu.vn.lit.a.A.*L. Cap. 1. 4.

Verbum caro factum est. Affertur hæc auctoritas ad probandum Incaruationem, non solum fuisse possibilem, sed etiam factam fuisse, quia per Augustinum tract. 2. in Ioan.per carnem intelligitur homo. *Scot. 3.sent. dist. p. qu. 1.lit.a A.* Cap. 1. 14.

Iterum Affertur eadem auctoritas ad probandum, quod ista propositio sit vera, Deus factus est homo, cum caro, vt dictum est, accipiatur pro homine. *Scot.3.sent.dist. 7. qu.1. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod ista propositio,*Deus factus est homo*, sit immediatior, quam ista, *Homo factus est Deus,Scot.3.sent.dist. 7. qu.2. lit. a. A. D.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum esse creditum,humanam naturam personaliter esse vnitam Verbo Diuino.*Scot. Quodlibet.qu.19.lit.A.*

Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod ex mente Euangelistæ Christus dicatur esse Patris vnigenitus, vnde optima ratio congruentiæ est, vt ipse habeat plenitudinem, & ob id sequitur, quod prius erat natura subsistens in verbo, quam tanta gratia sibi conferretur;aliàs videretur, quod in aliquo instanti, in quo natura non erat vnita Verbo, conferretur plenitudo gratiæ. *Scot. 3 sent.dist.2.qu.2.lit.G.* Cap. 1. 16.

Iterum affertur hæc auctoritas ad probandum Animæ Christi fuisse collatam summam gratiam, quæ potuit creaturæ conferri. *Quasi vnigeniti à Patre*, hoc est, qualis decet vnigenitum, illa est summa possibilis dari. *Scot. 3. sent. dist. 13. qu. 2. lit. a. A.*

Cap. 1. 16. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Animæ Christi fuit collata summa gratia, quæ potuit creaturæ conferri; nam plenitudo, quæ potest participari ab omni alia Anima, secundum aliquem gradum, non potest esse, nisi summa gratia. *Scot. 3. sent. dist. 13. qu. 2. lit. a. A.*

Cap. 1, 17. *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Affertur hæc auctoritas ad probandum. quod Sacramenta nouæ legis debuerunt esse perfectissima, primò quia est lex veritatis; secuudo, quia est lex gratiæ. *Scot. 4. sent. dist. 2. qu. 1. lit. B.*

Itecum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod Sacramentum Baptismi debebat esse copiosum, quantum ad gratiæ collationem, quia lex Euangelica est lex gratiæ, *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. B.*

Cap. 1. 26. *Ego Baptizo vos in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam differentiam Baptismi Ioannis à Baptismo Christi; *Baptizo vos in aqua*, suple tantum, *medius autem vestrũ stetetit, quem vos nescitis*, qui suple, Baptizat vos non in aqua tantum. *sed in spiritu, & veritate. Scot. 4. sent. dist. 2. qu. 2. lit. B.*

Cap. 1. 29. *Ecce Agnus Dei.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino, in Ioan. tract. 7. vbi de Christo dicit, *sic, & Agnus singulariter, solus sine macula, sine peccato, non cuius maculæ abstersę sint sed cuius macula nulla fuerit.* Quia non venit secundum communem propagationem, vnde pro argumento deducitur, quod B. Virgo contraxit maculam originalem, qui venit secundum communem propagationem, quod vtique verum esset, quando speciali priuilegio, non fuisset præseruata à macula quam incurrisset. *Scot. 3 sent. dist. 3. qu. 1. lit: a. A.*

Cap. 1. 33. *Super quem videritis spiritum descendentem, & manentem, super eum, hic est, qui baptizat.* Affertur hæc auctoritas, (& sunt verba S. Ioannis Baptistæ) ex Augustino tract. 6. in

in Ioann ad probandum, quod malitia ministri, ideo non impediat Sacramentum, nec eius effectum, quia sic Christus instituit. Et hoc rationabiliter ex pluribus congruentijs, quas in Scoto morali videri possunt. *Scot.* 4. *sent.dist.*5.*qu.*1.*lit,A.*

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, sunt verba dicta Nicodemo à Christo Domino, & affertur hęc auctoritas ad probandum, quod sola aqua naturalis, pura, sit materia conueniens Sacramento Baptismi, quia sic Christus instituit, quamuis dentur aliquæ congruentiæ, de quibus aliàs. *Scot.*4.*sent.dist.*3.*qu.*3.*lit.a.A.* Cap. 3. 5.

Iterum affertur hæc auctoritas ad ostendendam Circumcisionem fuisse euacuatam, & Baptismum post sui institutionem simpliciter fuisse necessarium ad salutem, cum non possint simul conuenire, seu concurrere, Circumcisio, & Baptismus *Scot.*4.*sent.dist.*3.*qu.*4.*lit.a. A.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ed probandum, quod Sacramentum Baptismi non fuit tunc institutum, quando eadem verba Nicodemo dixit. Quia non est verisimilæ, quod tam necessarium Sacramentum fuerit institutum coram persona priuata. *Scot.*4.*sent.dist.*3.*qu.*4.*lit.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ex Beda, per Magistrum 4.sent.dist.1.cui hæc sunt verba. *Qui nunc per Euangelium suum terribiliter, & salubriter clamat. Nisi quis renatus &c.* & est ad ostendendam necessitatem Baptismi, *terribiliter* dicitur, propter arctam obligationem, & *salubriter*, propter efficacem medelam; quæ arcta obligatio non fuit, nisi quando fuit promulgatus Baptismus per modum præcepti. *Scot.* 4 *sent.dist.*3.*qu.*4.*lit.F.*

Rabbi. &c. Cui tu testimonium perhibuisti, Ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum &c. Affertur hæc auctoritas ad probandam institutionem Baptismi fuisse ante passionem, quia eius discipuli baptizabant. Et sic tempus institutionis licet non habeatur hora præcisa in Euangelio, fuit ante tempus, quo ipsi baptizabant, vt dicetur. *Scot.*4.*sent.dist.*3.*qu.*4.*lit.A.* Cap 3. 26.

Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Animæ Christi fuerit collata summa gratia, quia gratia non ad mensuram, est gratia summè possibilis, quam habuit Christus, de quo Cap. 3. 34.

quo intelligitur auctoritas. *Scot. 3. sent. dist, 13. q. 2. lit. a. A.*

Cap. 4. 1. *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.* Affertur hæc auctoritas ad conuincendum, quod tempus institutionis Baptismi præcessisset tempus, quo eius discipuli baptizabant, vt dictum est. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. litera A.*

Cap. 4. 13. 14. *Non sitiet in æternum, fiet in eo fons &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod ad actum meritorium nō sufficiat voluntas cum charitate, sed requiratur influentia specialis non formę permanentis, sed mouentis, sicut instrumentum habet ab agente naturali influentiam mouentis, vltra formam, & illa influentia specialis datur nobis, non vt agamus, sed vt agamur, vt dicetur. *Scotus 1. sent. dist. 17. qu. 3. lit. H. b.*

Cap. 5. 17. *Pater meus vsque mòdo operatur, & ego operor,* Affertur hæc auctoritas, ex Augustino lib. 4. super Genes. c. 12. ad probandum, quod in æuiterno non sit successio, dicente, *Proinde, & quod Dominus ait, Pater meus vsque nunc operatur; continuationem quamdam operis eius, qua vniuersam creaturam continet, atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi, si diceret, & nunc operatur, vbi non esset necesse, vt operis continuationem acciperemus, aliter autem cogit intelligi, cum ait vsque nunc, ex illo scilicet, quo cuncta cum conderet, operatus est.* In qua materia Scotus est Problematicus. *Scot. 2. sent. dist. 2. qu. 1. lit. a. B.*

Iterum affertur eadem auctoritas, ex congruentia, ad probandum Iudicium vniuersale futurum, nam sicut fuit vnus exitus vniuersalis in prima rerum creatione, ergo à simili, præter singulares reductiones, congruit esse vnam per finalem sententiam discrectiuam, qua boni reducantur in finem suum vltimum, quia mali non reducuntur, & hæc reductio fit per Iudicium vniuersale. *Scot. 4. sent. dist. 47. qu. 1. lit. F.*

Cap. 5. 18. *Sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Affertur hæc auctoriras ad ostendendum, quod distinctio præexigatur rationi æqualitatis, sic Christus dicebat, & verissimè, Patrem suum Deum esse, Ergo se faciebat, idest, se asserebat æqualem Deo; quia generatio significata per hoc, Patrem suum dicebat Deum, preexigitur

gitur æqualitati, at per generationem est distinctio personarum; distinctio igitur præexigitur æqualitati personarum in essentia diuina. *Scot. Quolib. qu.6 lit. A.a.I.i.*

Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Affertur hęc auctoritas ex Augustino tract.19. in Ioann. dicente *Hoc est videre verbi, quia filius Verbum*, & deinde, *quid sit videre verbi, demonstrare, non potest*. Vnde arguitur, quod Deus sit innominabilis ab homine, aliquo nomine proprio; quod conceditur, si loquatur de nomine, vt signo expressiuo proprij conceptus in particulari, non tamen si loquatur de nomine expressiuo alicuius conceptus vniuersalis. *Scot. 1. sent. dist. 22. vn. lit. 7.a.A.G.* Cap.5. 19.

Iterum Affertur eadem auctoritas ad probandū, quod filius neget à se auctoritatem primariam causandi, quod patet per prænarrata verba, per alia verba autem, scilicet *nisi quod viderit Patrem*, concedit sibi subauctoritatem causandi, quam recipit à Patre. *Scot. Quolib. qu. 9. lit. N.* Cap.10.30

Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Affertur hæc auctoritas ad probandum à posterioti, quod in verbo non sit aliqua propria ratio causandi creaturas nam per *quæcumqua &c.* patet, quod non se habeant Pater, & filius in agendo, tanquam vniuersalis, & particularis, veluti se habent sol, & Pater in generatione animalis, & per *hæc* patet, quod non sint causæ variæ aliorum, sed eorumdem causatorum. *Scot. Quolib. qu. 8. 8. lit. A.* Cap.5. 19.

Filius, quos vult, viuificat. Affertur auctoritas hæc ex Augustino, tract. 19. in Ioan. pro argumento ad probandum, quod Christus iudicabit in forma diuina, non humana, vbi inquit. *Animas ergo suscitat Deus per Christum filium Dei, corpora suscitat Deus per eumdem Christum filium hominis.* Si ergo Deus viuificat animas vt ibidem sanctus dicit. & iudicare magis pertineat ad Animas, quam ad corpus, signum est quod Christus, vt Deus, iudicabit, & non vt homo. Quod vtique concedendum est, quia viuificatio animę soli Deo competit, loquendo tam de vita animæ, quoad iustificationem, quam de vita perfecta animæ, quoad beatitudinem tamen dicit Doctor quod resurrectio corporum competit Christo homini, vt Cap.5. 21.

impe-

imperanti subautentico, non autentico, quia sic competit Christo, vt Deus, hinc non ostenditur, quod vt Deus iudicabit. *Scot.4.sent.dist.48.qu.1.lit.a. A.G.*

Cap.5.26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* Affertur hæc auctoritas ad explicationem definitionis æternitatis traditæ à Boetio lib.de Consolat.Prof.6.dicente, *æternitas est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio.* vnde vita ibi accipitur pro existentia actuali perfecta. *Scot.Quolib.qu 6.lit.R.*

Cap. 5. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere. quia filius hominis est.* Affertur ista auctoritas ad probandum, quod Christo Domino data est potestas iudicandi secundum humanam naturam, & sic iudicabit. *Scot.4.sent.dist.48.qu.1.lit.a.A.*

Cap.5. 30. *Non possum à me ipso facere quidquam.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod filius omnem causalitatem habeat à Patre. Potest enim facere omnia, sed non à se & secundum causalitatem primariam, bene tamen secundum subauctoritatem, quam habet à Patre in causando. *Scot.Quolib.qu.8.lit.N.*

Cap.5. 36. *Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam eamdem causalitatem, quam habet filius à Patre scilicet subautenticam, vel subauctoritatem. *Scot. Quolib. ibidem.*

Cap. 5.36. *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam efficaciam miraculorum Christi vnde Sacram Scripturam sufficienter traditam dici possit, per quæ similia non possunt alij suã sectam ostendere. *Scot.Prolog.sent.qu.2.lit.D.*

Cap. 5.43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, si alius veniet in nomine suo illum accipietis.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod hebræi adhærebunt Antichristo, à quo erunt subuertendi, & sic melius esset Iudæos cogere totaliter ad Baptismum suscipiendum, & quamuis illi non essent verè fideles in animo, minus tamen malum esset eis non posse impunè legem suam illicitam seruare, quã posse actu liberè seruare. *Scot.4.sent.dist.4 qu.9.lit.A.*

Cap.6. 44. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Affertur hęc auctoritas ex Augustino, tract. 26. in Ioan.c.6.vbi loquens de Prædestinatione, sic dicit. *Quem trahat*

trahat & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Et sic nulla est causa, quare Deus hunc prælegit, & quare hunc non prælegit. At doctor ait, quod, quare Deus hunc non prælegit datur causa demeritoria. *Scot. 1. sent dist. 41. qu. vn. lit. a. A.*

Ego sum panis viuus &c. Si quis manducauerit ex hoc pane &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod non videatur expresse in Sacra Scriptura, quod in Sacramento Eucharistiæ non sit substantia panis. Habetur tamen per Canones, & Sanctos Patres, qui tradunt, & docent Panem transubstantiari in corpus, & vinum in sanguinem Christi, & hoc, non per annihilationem. *Scot. 4. sent. dist. 11. qu. 3. lit. a. A. B.* Cap. 6. 51.

Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Missa valeat ex opere operantis, & etiam ex opere operato, aliter Missa mali Sacerdotis nihil valeret, & sic exponit Doctor dicens, quandocumque enim Christus, vt summus Sacerdos, offert, panis, quem dat, idest, caro eius, est mundi vita. *Scot. Quolib. qu. 20. lit. A.* Cap. 6. 50.

Caro mea vere est cibus. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod sub specie panis, et vini realiter continentur Corpus, & Sanguis Christi, quod est de substantia fidei simpliciter, eo modo, quo veritas alicuius Sacramenti pertinet ad articulos fidei. *Scot. 4. sent. dist. 10. q. 1. lit. a. A.* Cap. 6. 56.

Mea doctrina non est mea. Affertur hæc auctoritas ad declarandum, quod meum positum in forma consecrationis Panis refertur ex virtute sermonis ad personam Christi, quod non est, nisi fiat mentio de Christo in cuius persona proferuntur illa verba, sicut si dicerem, *doctrina mea non est mea.* de veritate istius propositionis, significaretur non doctrina mei loquentis, sed Christi, ad quam refertur; non sic verò, si quis simpliciter, non præmissa loquutione de Christo, statim diceret, *Doctrina mea &c. Scot. 4. sent. dist. 8. qu. 2. lit. Y.* Cap. 7. 16.

Nemo tè condemnauit? Nemo Domine; nec ego te condemnabo. Affertur hęc auctoritas ad ostendendum, quod pœna de Adulterio fuerit reuocata, hinc multo magis fuisset reuocatus rigor contra furtum, si fuisset statutus in lege Cap. 8. 10. 11.

mosaica. Ex quo patet hominem pro furto simpliciter non debere occidi, nisi fuerit nocturnus. *Scot.4.sent.dist.15.qu.3.lit.H.*

Cap.8. 12. *Ego sum lux mundi.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Christus non ponitur in genere qualitatis ex hoc quod dicatur lux, quia nihil collocatur in genere, per proprietates methaphoricas; hinc dicit doctor, quod character, qui imprimitur in Anima, si ponatur accidens absolutum, potest reponi in secunda, vel in prima specie qualitatis; sed de hoc dictum est alibi. *Scot.4.sent.dist.6.qu.20.lit.N.*

Cap.8. 44. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Affertur hæc auctoritas pro argumento, ad probandum, quod mali Angeli fuerunt mali ab initio, idest in primo instanti. At Augustinus sic explicat illam lib.11.Genes. c. 26.dicens, *Ab illo initio, ex quo homo potuit occidi, sic fuit homicida post conditum hominem, quem per inuidiam in mortem præcipitauit,* vnde post initium temporis cecidit. nec fuit homicida in primo instanti suæ creationis respectu hominis, quem tentauit, & quamuis etiam in primo suæ creationis instanti malus non fuit, sed satis cito post; tamen bene nunc dicitur, quod *in veritate non stetit* simpliciter loquẽdo. *Scot.2.sent.dist.5.q.2.lit.a.A.R.*

Cap.8. 55. *Et si dixero, quod non scio eum, ero similis vobis mendax.* Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod Christus potuit Peccare, quia potuit dicere partem illius propositionis, scilicet, *non scio eum,* & sic mentiretur; sed hoc falsum est, quia vtique dicere poterat partem propositionis, sicut totam, sed non mentiretur, quia tantum materialiter diceret, & non assereret illam partem, quia non potuit intellectus eius decipi, & sic neque tali parti propositionis acquiesceret. *Scot.3.sent.dist.12.qu.vn.lit.a.A.A.*

Cap. 7.48.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod probatio aliquorum verborum cum conscientia oppositi, & per consequens cum intentione fallendi, non potest esse sine peccato; quia includit actum substratum cum circumstantijs ipsum necessario deformantibus, & ait doctor, Christum illa verba dixisse non assertiuè, & sic non potuisse mentiri. *Scot 3.sent.dist.38.qu.vn.lit.A.*

Alia

Ante quam Abraham fieret, ego sum. Affertur, hæc auctoritas ad probandum, quod Christus fuerit ab æterno, & non incepit esse; quod intelligitur secundum naturam diuinam, quia & si Christus potest supponere pro supposito naturæ diuinæ, tamen potest supponere pro illo, vt est suppositum in natura humana. Verum est autem, quod Sancti Patres noluerunt concedere, quod Christus inceperit esse, propter hæreticos, qui dixerunt Christũ simpliciter incipere esse. *Scot. 3. sẽt. dist.* 11. *q. 3. l. a. A. D.* Cap. 8. 58.

Vt manifestentur opera Dei in illo. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod si Deus permittit mala fieri, non est vt bona impediantur, sed vt bona eueniant, sic manifestata est gloria Dei in cœco non ex defectu visus in cœco, sed ex miraculosa illuminatione à Deo facta. *Scot. 1. sent. dist. 41. qu. vn. lit. a. A.* Cap. 9. 3.

Mercenarius autem, & qui non est pastor &c. Vidit lupum venientem &c. & fugit. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod tempore persequutionis, tenetur Pastor non fugere quandoque. Pastor enim, & Prælatus est in statu perfectionis exercendæ. Alius autem, qui est in statu perfectionis acquirendæ vt Religiosus, non tenetur ex necessitate fugere, si potest aliter fieri, sed tenetur non scandalizare proximum fugiendo, quia quandoque fuga eius scandalizatiua esset. Iudicaret proximus ex fuga eius quod, ex quo talis, qui tam arctam vitam elegit non exponit vitam suam pro fide defendenda, non esset vita exponenda pro tali causa, vel quia non bene sentit de fide. *Scot. 3. sent. dist. 38. qu. vn. lit. F.* Cap. 10. 12.

Ego pono animam meam &c. nemo tollet eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod in potestate Animæ Christi fuit non mori ex violentia passionis, sed aduertendũ, quod illud pronomẽ, *Ego* in supposito, & apposito stat pro eadẽ persona, sed nõ secundum eamdẽ naturam, sic, *Ego* scilicet suppositum verbi secundum naturam diuinam, *pono animam meam* idest, a se ipso, secundum naturam humanam, quia Animam separauit à corpore non à verbo itaquod, ponere, vel separare attribuitur effectiuè verbo, sed terminatiuè, vt à quo separa- Cap. 10. 17. 18.

tur Anima, scilicet à corpore, conuenit sibi ratione humanæ naturæ. *Scot. 3. sent. dist. 16. qu. 2. lit. a. A. I.*

Cap. 10. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Affertur hæc auctoritas ad idem probandum pro argumento, sic *Mandatum accepi*, scilicet *ponendi Animam meam*, sed non accepit mandatum, nisi vt homo, quia in diuinitate æqualis erat Patri; igitur, vt homo posuit Animam suam, & vt homo habuit in potestate sua ponere & non ponere. At auctoritas intelligitur, quod vt homo *accepit mandatum* ponendi Animam, idest de complacendo, & patiendo Animam poni, sed non effectiuè ita quod ponere, & non ponere fuerit in potestate Animæ eius. *Scot. ibid. lit. a. A. I.*

Cap. 10. 19. *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.* Affertur hæc auctoritas ad probandum quod essentia diuina sit communicata filio, quod intelligitur de termino formali, & primo, non autem de termino totali. *Scot. 1. sent. dist. 5. qu. 2. lit. I.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandũ, quod essentia diuina non sit quasi materia diuinæ productionis, quia est terminus formalis. *Maius enim omnibus non est*, nisi aliquod infinitum, & hoc non est, nisi essentia diuina, quam Pater filio dedit. *Scot. 1. sent. dist. 5. qu. 2. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ex Augustino lib. 3. contr. Maxime ad ostendendum, quod filius sit æqualis Patri, quod bene probat, vt est videre. Nam per omnia æqualem, sibi non gigneret, si quod Pater dedit filio, aut minus, aut amplius esset verbo producto, quam in ipso Patre producente. *Scot. Quolib. qu. 6. lit. F. 5.*

Cap. 10. 18. *Si mihi non vultis credere, operibus credite &c.* Affertur hęc auctoritas ad probandam veritatem miraculorum Christi, per quam etiam autenticatur Sacra Scriptura, & Theologia, quia contra falsa miracula Antichristi posset quis illi obijcere multa impossibilia, non sic de Christo Domino, cuius omnipotentiæ miraculorum apparet claritas. *Scot. Prolog. sent. qu. 2. lit. D.*

Cap. 12. 14. *Nisi granum frumenti &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod materia consecranda in Sacramento Altaris sit panis triticeus, quo Christus vsus est. Hinc August. & Glossa in hoc inquit, *Cùm sint multa grana seminum, nulli se comparat, nisi frumento, vnde mos cœpit Ecclesiæ*

de

de hoc solo grano confici Corpus Domini. Scot. 4. sent. dist. 11. qu. 6. lit. a. A.

Nunc iudicium est mundi; nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Affertur hæc auctoritas. quantum ad primã partem, pro argumento ad probandum, quod Iudicium vniuersale non sit futurum. At per aliam partem auctoritatis intelligitur Princeps inferni, qui vsque ad aduentum Christi principabatur mundo licet tyrannicè; igitur iudicium, quod nunc est, ait Christus, erit ad illam Tyrãni eiectionem, quia sententiabatur ipsum expellendum a Regno per passionem Christi; hinc non probatur Iudicium non esse futurum. *Scot. 4. sent. dist. 47. qu. 1. lit. a. A. I.* Cap. 12. 31

Ante diem festum Paschæ. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Christus comedit Pascha luna 15. non 14. & quod ideo in fermentato confici debeat; sed intelligitur ibi Pascha, sicut accipitur, pro die solemnitatis, quæ fiebat 15. luna; at accipiendo pro die, in cuius vespere comedebatur Pascha, erat 14. luna, sed de hoc dictum est superiùs. *Scot. 4. sent. dist. 11. qu. 6. l. A.* Cap. 13. 2.

Qui lotus est. &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Apostoli fuerint baptizati, sic opinatur Glossa ordinaria, inquiens, *Ex his verbis intelligimus baptizatos Apostolos, si non legimus vbi, vel quando.* quod quidem est probabile, quia Christus fecit eos Sacerdotes, conferens eis in Cœna potestatem conficiendi, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, & post resurrectionem contulit eis potestatem absoluendi, dicens, *quorum remiseritis &c.* Quod Sacramentum, nempe ordinis, supponit Baptismum, & hoc congruenter, vt baptizati essent efficaciores. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 6. lit. B.* Cap. 13. 10.

In Domo Patris mei mãsiones multæ sũt. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Beatitudo omnium beatorum non est æqualis; quæ inæqualitas non est ab obiecto, scilicet à diuina essentia, quia vnicuique ostenditur infinita, sed est inæqualitas respectu eius, scilicet ex parte charitatis, & voluntatis; hæc enim in diuersis, secundum perfectionem, possunt esse inæquales. *Scot. 4. sent. dist. 50. qu. 5. lit. A. E. F.* Cap. 14. 2.

Domine ostende nobis Patrem. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod de[illegible] erat [illegible]; & visio Cap. 14. 8.

visio

visio essentiæ in tribus personis, hinc dicit Augustinus lib.1.de trinitat. c. 8. *Neuter sine altero potest ostendi*, & loquitur de Patre,& filio, quod intelligendum est de potentia ordinata, de qua loquebatur Philippus, dum petebat Patrem sibi ostendi, *Scot. 1.sent.dist.p.qu.2. lit.H.*

Cap.14. 8. Iterum affertur hæc auctoritas, *Domine ostende nobis Patrĕ,& sufficit nobis.Tanto tẽpore vobiscũ sum &c. Philippe, qui videt me videt & Patrem*, & est ad probandum pro argumento, quod beatitudo consistit in actu intellectus. At dicendum est, quod dictum Philippi intelligendum est quantum ad instructionem fidei de trinitate;hác enim tũc nõ cõpletè intellexerat, quoniam frequẽter audierat sermonẽ de Patre,& ideo cõcepit quod Patre sibi ostẽso, sufficienter caperet, & alij cum eo, veritate fidei de Trinitate nõ autẽ loquebatur de visione beata,quasi illa per se sufficeret sine dilectione; sicut apparet per responsionẽ Christi. *Tanto tempore vobiscum sum, Philippe, qui videt me &c.* quasi dicat, si iam me, secundum veritatem vidistis, etiam perfecta visione fidei, & Patrem meum simili visione vidistis. Non autem intellexit, quod Apostoli vidissent eum visione beatifica, quia supponeret eos fuisse beatos. *Scot.4.sent.dist.49.qu.4.lit.a.A.P.*

Cap. 14. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quælibet persona sit in alia per circum insessionem, idest per intimam inexistentiam,secundum quam sic conceditur,quod filiatio sit in Patre,quod Deus sit in Deo, persona in persona,sed negatur compositio, & negatur confusio: Quoniam autem talis modus essendi est inexplicabilis(est enim vltra modos essendi à Philosopho assignatos lib.4.Phisic.t. 23.) dicimus quod cecinit Ambrosius hymno octauo. *In Patre totus filius, & totus in Verbo Pater.Scot p.sent.dist.19.qu. 2. lit.a A. & inde.*

Cap. 14. 23. *Ad eum veniemus*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod etiam Pater mittatur, quia venit ad aliquem effectum trinitatis, & sic videtur, quod Pater possit mitti à tribus personis, sicut filius. Doctor concedit quod Pater veniat inuisibiliter, non visibiliter, nec ob id dicitur mitti, quia non habet de quo sit. Potest etiam manifestari absolutè, vel manifestari, quod producat,

ducat, sed sic manifestari, non notatur permitti. *Scot.* 1. *sent. dist.* 14 *qu. vn. lit. a. A. H.*

Quia Pater maior me est. Tangitur hæc auctoritas ad probandum, quod respectus vnius naturæ ad aliam non impedit communicationem idiomatum. Minor enim dicit respectum naturæ humanæ ad diuinam naturam, secundum quam Pater dicitur maior. *Scot. 3. sent. distin.* 11. *qu.* 1. *lit. a. A.* Cap. 14. 28.

Ego sum vitis vera &c Affertur hæc auctoritas ex Augustino tract. 80. in Ioan. qui dicit, quod Christus est Caput Ecclesię secundum humanam naturam, & ideo debet influere gratiam in totam Ecclesiam; & ex hoc aliqui volunt inferre, quod debeatur Christo maximus cultus, veluti est Adoratio latrię. At Doctor dicit, quod non concluditur ex hoc necessariò, quod intendunt, nisi ex alio capite latriæ cultus ei debeatur. *Scot. 3. sent. dist. 9. qu. vn. lit. F.* Capit. 15. 1. 5, 6.

Iterum affertur hæc auctoritas ad declarandum, quomodo hæc verba, Hoc est Corpus meum, referantur ad corpus, & non accipiantur figuratiuè, sicuti alia, quæ de Christo dicuntur, vt *Petra, Agnus, leo, vitis, &c.* Ob id aduertendum, vt dicit Augustinus lib. 83. quest. qu. 69. quod *solet circumstantia scripturarum illuminare sententiam.* Nam cum Christus dixit, *Ego sum vitis vera*, sequitur, *Et vos Palmites.* Sic Christus figuratiuè erat *vitis*, sicut Apostoli *Palmites.* At dicendo, *Hoc est Corpus meum*, sequitur, *quod pro vobis tradetur*; hinc sicut verè pro nobis est traditum, ita verè Christi Corpus est, non figuratiuè. *Scot. 4. sent. dist.* 11. *qu.* 1. *lit. a. A.* Cap. 1. 14.

Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod nullus tenetur ad aliquod præceptum diuinum, nisi per aliquem idoneum, & autenticum virum sibi promulgetur, vel fama veridica, & testimonio bonorum, cui debet quilibet rationabiliter credere, & sic populus non tenebatur necessariò post institutionem Baptismi, ad suscipiendum, nisi post promulgationem, quod intelligitur de lege positiua, quæ non est nota interiùs in corde. *Scot. 4. sent. dist.* 9. *qu.* 4 *lit. C.* Cap. 15. 22.

Qui me odit, & Patrem meum odit. Affertur hæc auctoritas Capit. 15. 23.

tas ad probandum, quod fruitio ordinata habitualis est simul necessario trium personarum, nam potest viator vnam personam diligere, & alteram odire. Amando enim vnam, alias etiam amat, & è contra similiter, odiendo, vnam, alias pariter, saltem habitualiter odit, *Scot.p. sent.dist.p.qu.2.lit.H.*

Iterum affertur eadem auctoritas, sed cum voce amoris pro argumento ad probandum quod non possit esse peccatū in spiritum sanctum, quia qui odit vnam personam, odit alteram. Sed intelligitur virtualiter, quia diligens, vel odiens vnam personam, diligit, vel odit alias virtualiter, non actualiter, quia potest quis diligere vnam personam vel odire, aliam, non diligendo, vel non odiendo actualiter. *Scot.1 sent.dist.43.qu.1.lit.a.A.E.*

Cap.16.7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Spiritus Sanctus mittatur visibiliter, non tantùm inuisibiliter, & intelliguntur ista verba de missione Spiritus Sancti temporali. *Scot.1.sent. dist.16.qu.vn.lit.A.*

Capit.16. 12.13. *Adhuc multa habeo vobis dicere sed non potestis portare modo, cum autem venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Affertur ista auctoritas ad ostendendum, quod multa Spiritus Sanctus Apostolos docuit, quæ non sunt scripta in Euangelio, & illa multa, quædam per consuetudinem tradiderunt Apostoli, sicut diuersa symbola, diuersis temporibus, contra diuersas hæreses, de nouo orientes: Sicut de discensu Christi ad inferos. *Scot. 1.sent.dist.11.qu.1.lit.D.*

Capit.16. 13. *Cum autem venerit Spiritus ille veritatis &c.* Affertur hæc auctoritas, vt supra, ad probandam missionem temporalem Spiritus Sancti visibiliter, sic enim Spiritus Sanctus manifestatus est, mitti enim est manifestari. *Scot. 1 sent. dist.16.qu.vn.lit.A.*

Capit.16. 13. *Non enim loquetur à semetipso, sed quacumque, audiet loquetur.* Affertur hæc auctoritas ab Augustino, tract.99. in Ioan. qui dicit. *semper itaque, audit Spiritus Sanctus, quia semper scit, Ergò, & sciuit & scit, & sciet, ac per hoc & audiuit, & audit, & audiet, &c. Hoc est illi audire, quod scire, & scire illi hoc est, quod esse.* Ab illo igitur audiuit, audit, & audiet, à quo est, ab illo est, à quo procedit,

cedit,& ex hoc conceditur, quod verba cuiuscumque temporis dicuntur de Deo, siuè significent actus personales, siue essentiales, *Scot.1.sent.dist.9.qu.vn.lit.D.*

Omnia quacumque habet Pater, mea sunt. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod personæ diuinæ sint æquales in potentia, & adducitur ab Augustino lib.3.c. 9 cont.Maxim.pro prima probatione contra eundē hæreticum, qui negabat filii omnipotentiam. *Scot. 1.sent. dist.20.qu.vn.lit,A.* Capit.16. 15.

Exiui à Patre &c. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod personæ non sint qualibet in alia per circumincessionem,quia,qui exit ab alio,non est in eo. Nihilominus, cum talis exitus filij à Patre sit processio producti à producente, talis exitus nihil prohibet quin exiens maneat in eo, à quo exit, quia recipit eamdem naturam cum eo, à quo procedit. *Scot.1.sent.dist. 19.qu.2.lit.a.A.I.* Capit.16. 28.

Hæc est vita æterna, vt cognoscant te. Affertur hæc auctoritas pro argumento alterius opinionis, ad probandum, quod damnati non videbunt Christum in forma gloriosa in Iudicio, quia, si viderent, essent beati, quod non est dicendum. Sed auctoritas non intelligitur de Beatitudine actu. Nam sicut actus intellectus est vita, ita actus intellectus, æternus est vita æterna, vel actu, vel aptitudine: & sic conceditur illum actum damnatorum, scilicet visionis esse æternum aptitudine, quia quantum est ex parte potentiæ, vel actus, apta esset, vt esset æterna, ergo vita æterna; sed si ex hoc inferas,ergo beatitudo, non sequitur; vel, si quis vellet, dicere ;quod intelligatur de vita æterna, doctor addit glossam non distrahētem, scilicet,*vt cognoscant te*, amando,& fruendo *Scot.4. sent.dist 48 qu.1.lit. A.C.* Cap.17. 3.

Iterum affertur eadem, auctoritas ad probandum pro argumento, quod beatitudo sit actus intellectus, sed vt dictum est, ista auctoritas non debet intelligi simpliciter sed cum hac additione, vt cognoscant te, & ament, & fruantur. Neque ista additio est contra textum Euangelij, vt dictum est *Scot. 4.sent.dist.49 qu.4.lit.a.A.P.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad declarandam sententiam Augustini qui lib 5.de Ciuit.Dei c.10.hæc verba pro-

O fert,

fert, post alia multa, *neque; enim & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si &c.* vbi Doctor dicit, quod intelligatur ibi vita, pro actu beatifico, & ita debet intelligi hæc auctoritas Ioannis, sed cum prædicta glossa, amando, & fruendo; quæ vita, quamuis sit sub necessitate, nihilominus admittit libertatem. *Scot. Quolib. qu. 16. lit. a. A. T.*

Capit. 17. 22. *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Affertur hæc auctoritas, ex Abbate Ioachimo tract. cont. Magist. sent, dicendo, quod fideles non sunt vnum vnitate naturæ; ita nec filius vna res cum Patre, vt Magister dicebat p. sent. dist. 5. qui posuit essentiam diuinam distinctam a tribus personis, sed fallitur Ioachim, quoniam Saluator Dominus in illa sua oratione ad Patrem vult, quod fideles illi sint vnum vnitate sibi proportionabili, sicut Pater, & filius sunt vnum vnitate sibi proportionabili, idest, quod sicut Pater, & filius sunt vnum charitate, quæ est natura eorum, ita fideles sint vnum charitate proportionata, sicut etiam intelligitur illa auctoritas Matth c. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*, quæ non intelligitur de perfectione naturæ, sed de perfectione nobis competente. Doctor noster excusat Abbatem de errore contra Magistrum, sicut Cyprianum de suo errore circa Baptismum hæreticorum *Scot. p. sent. dist. 5. qu. 1. lit. a. A. & 4. sent. dist. 5. qu. 1. in fine.*

Capit. 18. 28. *Non introierunt Prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Christus passus sit luna 14. antequam comederit Pascha; & ideo confecerit in fermentato, non in Azimo; sed de hoc dictum est superius, quoniam Christus comedit Pascha luna 14. postquam mortuus est, vt est videre *Scot. 4. sent. dist. 11. qu. 1. lit. A. B.*

Capit. 19. 30. *Dixit, consummatum est.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in Christi morte legalia sunt consummata, & intelligitur de his, quæ scripta sunt de filio hominis, sicut ipse Saluator Dominus dixit, *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Luc. 18. 31. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. F. N.*

Capit. 19. 33. 34. *Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt iam mortuum &c.*

&c. Vnus militum lancea latus eius aperuit &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod Sacramenta non habuerunt efficaciam à passione Christi, quia vulnus lateris Christi, à quò tanquam ab ostio exierunt (vt aiunt) Sacramenta, fuit post mortem, quo tempore, non poterat Christus esse causa meritoria, sed per quamdam similitudinem, quia per sanguinem, & Aquam, quę exierunt de latere Christi relucent duo Sacramenta, scilicet Eucharistiæ, & Baptismi. *Scot 4. sent. dist. 2. qu. 1. lit. A. M.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod illud corpus iam mortuum fuit idem, ac Corpus Christi viuentis. *Scot. 4. sent. dist. 11. qu. 3. lit. Q.*

Videbunt in quem transfixerunt. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Christus non est venturus in forma gloriosa, quia damnati Christum videntes possent esse beati. Dicitur tamen, quod, quamuis venerit in forma gloriosa, non erunt beati; quia vel ipsi non videbunt eum in forma gloriosa, vel si videbunt, potius erit eis in confusionem, quam in gaudium. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 1. lit. A.* Capit. 19. 37.

Maria stabat ad monumentum. Affertur hæc auctoritas ex Gregorio homil. 25. dicente, *Atquè ideo exaltauit caput, quia hoc, quod moriendo in sepulcro posuit, resurgendo super Angelos leuauit*: hinc probatur Christum resurrexisse cum eodem corpore: *Scot. 4. sent. dist. 11. qu. 3. lit. Q.*

Insufflauit, & dixit eis; Accipite Spiritum Sanctum. Affertur hæc auctoritas ab aliquibus ad probandum errorem non nullorum, qui asserebant, quod anima rationalis fuit producta de substantia Dei, quod est falsum, quia substantia Dei est indiuisibilis, & inalterabilis, & nullo modo potest aliter se habere, Nec anima esset forma Corporis, si esset de substantia Dei, qui non potest vllo modo corpus informare: *Scot. 2. sent. dist. 17. qu. 1. lit. A.* Capit. 20. 22.

Iterum tangitur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, quod materia, & forma Sacramenti Confirmationis non sit illa, qua vsus est Christus per istam auctoritatem; sed nihilominus, quia Christus non est alligatus Sacramentis; siuè in terris, siuè in Cœlis existens poterat Apostolos confirmare sine tali materia, & tali forma,

ficut modo vtitur Ecclefia per Apoftolorum traditionem. *Scot.4.fent.dift.7.qu.1.lit.B.C.*

Capit.20. 22.23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiferitis peccata, remittuntur eis.* Affertur hæc auctoritas ad probandam inftitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod confiftit in Abfolutione, & remiffione peccatorum. *Scot.4.fent.dift.1.qu.1.lit.D.*

Iterum affertur hæc auctoritas ad probandam inftitutionē Sacramenti ordinis, quod, ficut confiftit in poteftate refpectu Corporis Chrifti veri, ita etiam confiftit in poteftate refpectu Corporis Chrifti miftici. *Scot.ibid.lit.E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad oftendendum, quod poft fuam refurrectionem Chriftus dedit Apoftolis auctoritatem abfoluendi. *Scot.4 fent.dift.4.qu.6. lit.B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod per Sacramentum Pœnitentiæ deleatur Culpa. *Scot. 4. fent. dift.14.qu.4.lit.a.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod Confeffio cadat fub præcepto diuino fundato in præfatis Chrifti verbis; quia vbi datur poteftas arbitrij, debet dari caufa, in qua debet arbitrari; fed melius probatur ex alio capite per Doctorem. *Scot.4 fent.dift.17.qu.vn.lit.F.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod Petrus non tenebatur confiteri peccatum, quia Sacramentum Pœnitentiæ, tempore negationis, non erat inftitutum; fuit enim inftitutum poft refurrectionem: tenebatur vtique conteri. *Scot.ibid.lit.X.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod poteftas Clauium in Ecclefia ad dimittendum peccata, non fe extendit præcife ad pœnam temporalem; quod omnino negatur, quia vis, & poteftas clauium fe extendit ad pœnam temporalem, foluendo, & ligando; foluit cum à peccatore de pœna debita aliquid dimittit; vel per eam peccatorem ad Sacramentorum communionem admittit, & ligat, quia ad pœnam temporalem, quam imponit debitam peccatori confitenti obligat, quamuis etiam vfus clauium fe extendat ad remittendum debitum pœnę ęternę, fed inftrumentaliter. *Scot.4.fent.dift.18.qu.vn.lit.a.A.H.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod

cui

cuilibet Sacerdoti, in susceptione Ordinis Sacerdotij conferantur Claues Regni Cœlorum. *Scot. 4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. a. A. D. E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod Sacerdos teneatur de lege diuina positiua seruare sigillum Confessionis, quia ex illis verbis. *Remittuntur eis*, infertur, in Iudicio diuino finaliter remissa approbantur, & sic peccat contra Christi legem, quicumcumque aliquid in illo foro discussum. & illud finaliter terminatum, deducit ad aliud forum publicum, quod facit reuelans confessionem. *Scot 4 sent. dist. 21. qu. 2. lit. F.*

Venit Iesus ianuis clausis. Affertur hæc auctoritas ex Damasceno 4. lib. de fid. Orthod. c. vlt. ex qua vult probare, quod corpus Beati per dotem subtilitatis, possit simul esse cum alio Corpore quia secundum hunc textum, fuerunt duo Corpora simul, sicut etiam in partu, quando Christus exiuit de clauso Virginis Matris vtero. *Scot. 4. sent. dist. 49. qu. 16. lit a. A.* Capit. 20. 26.

Infer digitum tuum huc. Affertur hæc auctoritas ex Gregorio ad probandum pro argumento, quod corpus hominis beati, post resurrectionem non erit palpabile, dicendo homil. 26. *Nam & corrumpi necesse est quod palpatur.* Hinc si corpus beati non erit corruptibile, neque erit palpabile; quod tamen negatur, quia non omne, quod est palpabile est corruptibile. Tunc enim palpabile esset corruptibile, quando palparetur secundum aliquam qualitatem sensibilem, immutãdo sensum, quod non est dicendum de Corpore glorioso. *Scot. 4. sent. dist. 49. qu. 13. lit. a. A. G.* Cap. 20. 27.

Quia vidisti me Thoma, credidisti Affertur hęc auctoritas pro argumento ad probandum, quod de credibilibus reuelatis aliquis possit habere scientiam certam ex euidentia habitam; quoniam D. Thomas habuit scientiam intuitiuam de Christo, ac pariter fidem; attamen Gregorius eadem homil. inquit, *Sed aliud vidit, aliud credidit &c. Hominem ergo vidit, & Deum confessus est.* *Scot. 3. sent dist. 24. qu. vn lit. a. A. M.* Capit. 20. 29.

Multa quidem, & alia signa fecit Iesus &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod confessio sit de præcepto, & iure diuino promulgato per Euangelium, scilicet Capit. 20. 30.

promul-

promulgato à Christo Apostolis, absque omni scriptura, sicut & alia multa. *Scot.4.sent.dist.17.qu.vn.lit.I.*

Capit. 20. 31. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis &c.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Theologia sit speculatiua, quia credere est speculatiuum; quod negatur, quia fides est habitus non speculatiuus, sed practicus; nec visio sequens credere, est speculatiua, sed practica; quia nata est esse conformis fruitioni, & prius naturaliter haberi in intellectu creato, vt fruitio certa illi conformiter eliciatur. *Scot.Prolog.sent qu.4 lit.a. A. A.a.*

Capit. 21. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod, quamuis sit tenendum pro vero, quidquid tradidit auctoritas scripturæ, tamen non est negandum esse verum quidquid ipsa non tradidit, quia multa declarata per Apostolos in Ecclesia tradita sunt, quæ fide tenenda sunt. *Scot.p.sent.dist.26.qu.vn l.post I.*

ACTVVM APOST.

1. Act. 1. C*Aepit Iesus facere, & docere.* Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod Christus Dominus etiam in seipsum voluit Baptismum suscipere, saltem Ioannis, antequam legem Baptismi alijs imponeret. *Scot.4.sent. dist. 4 qu.6.lit.B.*

Cap. 5.38. 39. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur; si verò ex Deo est, non potestis dissoluere illud, ne fortè, & Deo repugnare inueniamini &c.* Affertur hęc auctoritas ad probandam stabilitatem Ecclesiæ: Omnes enim sectæ dissoluentur, sola Ecclesiæ Romanæ firmitas conseruabitur. *Scot.Prolog.sent.qu.2.lit.B.*

Cap.7.55. *Vidit gloriam Dei, & Iesum stantem.* Affertur hæc auctoritas ad probandam sententiam Augustini; qui lib. 1. de symbolo, c.4. exponens articulum, *Sedens ad dexteram Patris*, vult, quod non debet intelligi de sessione Corporali, sed de habitatione vnde deducitur, quod sancti in Cœlo non habebunt situm, nisi erectum &c. *Scot. 4. sent. dist.49.qu,14.lit.L.*

Ego

Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Cap. 9. 16.
Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod actus virtutis circa tristabilia sit magis meritorius, quam actus virtutis circa delectabilia, & passiones voluntariæ concomitantes actum virtutis simul acceptæ sunt magis meritoriæ, quam actus tantum, vnde dixit, *quanta oporteat eum pati*, & non dixit, quanta oporteat eum agere. *Scot. 3. sent. dist. 20. qu. vn. lit. E.*

In veritate comperi, quod non est personarum acceptator Deus &c. Capit. 10. 34.
Affertur ista auctoritas ad ostendendum quod Deus non sit acceptator personarum, quod ideo est, quia Deus non potest acceptare personas, cum in eis nõ sit bonitas, quæ sibi sit ratio amandi. *Scot. 1. sent. dist. 41. qu. vn. lit. a. A. E.*

Constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum &c. Capit. 10. 42.
Affertur hæc auctoritas ad probandam iudiciariam potestatem Christi, quæ non intelligitur de potestate principali, sed de subordinata, & subautentica; tamen eminentissima, quæ potest esse sub principali, quæ est solius Dei. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 1. lit. a. A. F.*

Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum &c. quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Capit. 15. 10.
Affertur hæc auctoritas ad probandam grauitatem legis Mosaicę, quæ erat difficilis, imo quasi impossibilis; continebat enim 600. præcepta ad quæ omnia illi tenebantur. *Scot. 3. sent. dist. 40. qu. vn. lit. C.*

Ego iudico non inquietare eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, vt abstineant à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione; & suffocatis, & sanguine. Capit. 15. 20.
Affertur hęc auctoritas ad ostendendam diuersitatem temporis, quæ fuit inter Circumcisionem, & baptismum. Nam secundum tempus Baptismi a principio sui, totaliter fecit Circumcisionem illicitam, quantum ad gentes conuersas, vel saltem post tertium Concilium Apostolorum Ierosolymis celebratum, in quo seniores decreuerunt legem non imponi debere gentibus conuersis. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4 lit. I.*

Visum est Spiritui sancto, & nobis. Capit. 15. 28.
Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod quantum ad gentiles conuersos, præceptum de Circumcisione erat reuocatum in tertio

Con-

Concilio auctoritate Petri, & Iacobi, imo Spiritus Sancti. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. Q.*

Cap. 17. 18 *Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator esse, qui Iesum & resurrectionem annunciabat.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod generaliter, resurrectionem hominum esse futuram non potest ratione naturali probari, quia sapientibus Atheniensibus, quorum vnus fuit Dionysius, hoc assertum multùm videbatur remotum à veritate, per rationem naturalem. *Scot. 4. sent. dist. 43 qu. 2. lit. a. A.*

Capit. 20 17. 28. *Vocauit maiores natu &c. in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam differentiam, quæ reperitur inter Episcopos, & Sacerdotes. Nam Apostolis succedunt Episcopi, septuaginta verò discipulis succedunt Sacerdotes, hinc actus particulares fuerunt Episcoporum, qui non fuerunt Sacerdotum. *Scot. 4 sent dist. 7. qu. 1. l D.*

Capit. 21, 20. *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.* Affertur hæc auctoritas ad probandam publicationem Euangelij solemniter factam ante quartam synodum Ierosolymis habitam. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. F. G.*

Capit. 26. 23. 24. *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum &c Festus magna voce dixit. insanis Paule. &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandam resurrectionem vniuersalem mortuorum non posse ratione naturali probari, cum Iudices, & sapientes hanc non cognouerint, imò negauerint, vt dictum est supra. *Scot. 4 sent. dist. 43. qu. 2. lit. a. A.*

AD ROMANOS.

1. Roman. 3. 4. *QVi factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Christus prædestinatus fuerit esse filius Dei, & hoc secundum quod homo, at quoniam, in voce *prædestinari*, includitur aliquod temporale in termino, & in vobis. *esse filius Dei*, includitur in termino aliquod æternum; non possunt ista duo conuenire simul, propter aliquam vnam naturam; hinc

hinc logicè quandoque non admittitur. *Scot.3.sent.dist. 7.qu.3.lit.a.A.D.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, pro argumento, quod Christus sit filius Dei adoptiuus, quia prædestinare est aliquem ad hæreditatem adoptare. Sed tunc vera est ista propositio, quando adoptat per nouum actum voluntatis, quod non facit Deus, qui, non nouo velle adoptat, sed solum quantum ad nouum effectum producendum, scilicet gratiam, sic dicendum est Christum non esse filium Dei adoptiuum. *Scot.3.sent. dist. 10. qu.vn.lit.a.A.D.*

Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod rationes æternæ cognoscuntur à creaturis, & sic quod aliqua veritas certa, & sincera, naturaliter possit cognosci ab intellectu viatoris, absque Illustratione alterius lucis Superioris. *Scot.1.sent.dist. 3. qu. 4 lit.a.A.* Cap. 1. 20.

Non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non solum agentes, sed etiam consentientes tenentur ad restitutionem. *Scot.4.sent.dist.15.qu.1.lit.B b.* Cap. 1. 32.

Qui reddet vnicuique secundum opera eius. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod gradus essentialis gloriæ correspondet merito, non gratiæ, quamuis meritum non fiat sine gratia. Nusquam enim habetur quod reddat vnicuique secundum habitum eius, sed secundum opera eius. *Scot.4.sent.dist.22.qu.1.lit.H.* Cap. 2. 6.

Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod liberum arbitrium hominis possit sine gratia cauere omne peccatum mortale, quod est error. Hinc dicit Doctor, quod si non erant obligati ad legem Moysi, nisi filij Israel, alij Gentiles potuerunt iustè viuere secundum legem naturæ, & tunc habuissent legem naturæ scriptam in cordibus, sed non bene vixissent sine gratia quia gratia potuit esse in eis (data hypothesi) absque obseruatione legis mosaicæ. *Scot. 2.sent. dist 28.qu.vn.l.a.A.B.* Cap. 2. 14.

Cap.4. 11. *Signum accepit Circumcisionis, signaculum Iustitiæ fidei. &c.* Affertur ista auctoritas pro argumento, ad probandum, quod ex vi Circumcisionis non conferebatur gratia, sed solum (vt dicere videtur Glossa in hoc loco) dimittebatur originale peccatum, At aduertendum est, quod per Circumcisionem paruulis conferebatur gratia sed non tanta, quanta confertur in Baptismo. Abrahæ, non contulit gratiam, quia iam attigerat gradum; vel transcenderat, ad quem determinata erat Circumcisio, vel si contulit aliquid, fuit per modum operis operantis siue per meritum ex obedientia præstita, in circumcidendo. *Scot.4.sent.dist.1.qu.6 lit.a.A.M.*

Cap. 5. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit &c. in quo omnes, peccauerunt &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quilibet, secundum legem communem, propagatus ab Adam contrahat peccatum originale. *Scot.2.sent.dist.30.qu 1.lit.a A.*

Cap.5. 12. *Per vnum hominem peccatum &c. & per peccatum mors, ait in omnes homines mors pertransiit &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod in statu innocentiæ habuissemus corpora immortalia, quod intelligitur quantum ad actum, non autem quantum ad potentiam, quia in statu innocentiæ corpora habebant posse mori, posse corrumpi, sed illa potentia non fuisset reducta in actum, nisi Adam peccasset. *Scot.2.sent.dist.19.qu.vn.l.a. A.H.*

Cap.5. 12. *In quo omnes peccauerunt &c.* Idest in Adam. Affertur hęc auctoritas pro argumento ad probandum, quod B. Virgo Maria contraxit peccatum originale, quia fuit in Adam secundum rationem seminalem, & fuit filia Adæ. Quod verum esset, nisi fuisset præuenta gratia æquiualenti. *Scot.3.sent.dist.3.qu.1.lit.a.A.*

Cap.5. 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum &c.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod paruulus in vtero matris possit baptizari, quod negatur. Conceditur tamen posse saluari, quia Deus per donum suæ gratiæ potest iustificare puerum non natum, sicut habetur de Ioanne Baptista, de Hyeremia, & super eos de B. V. Maria, sed tamen non per Baptismum. stante diuina institutione de ablutione Corporis seruanda. *Scot. 4.sent. dist.4.qu.3.lit.a.A.C.*

Sicut

Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Affertur hæc auctoritas ad idem, quod supra probandum, scilicet, quod quilibet, secundum legem communem, propagatus ab Adam contrahat peccatum originale. *Scot.2.sent.dist.30.qu.1.lit.a.A.* Cap.5. 19.

Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte eius baptizati sumus &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Baptismus habeat efficaciam in virtute passionis Christi. *Scot.4.sent.dist.1.qu.5.lit.C.* Cap. 6. 3.

Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum per Augustinum lib. 12.de Ciuit.Dei c.13. quod falsa est opinio illorum, qui cum Tholomeo ponunt, quod post Circulum 3600. annorum, eadem redire debeant, tunc enim nulla esset beatitudo, cum animæ rediturae essent in miserias, quod est contra rationem beatitudinis. *Scot.4.sent dist.43.qu.3.lit.A.* Cap. 6. 9.

Mors illi vltra non dominabitur &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum Christum resurrexisse immortalem, & habere omnia pertinentia ad gloriam Corporis, & sic in forma gloriosa veniet ad iudicandum orbem terrarum. *Scot.4.sent.dist.48.qu.1.lit.G.* Cap. 6. 9.

Gratia autem Dei vita æterna. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non possit homo ex puris naturalibus consequi beatitudinem, & est contra errorem Pelagij, qui dicebat, quod homo sine gratia poterat iustificari. *Scot.4.sent.dist.49.qu.11.lit.a.A.* Cap. 6. 23.

Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Affertur hæc auctoritas pro argumento, ad probandum, quod præcepta Decalogi non sint de lege naturæ, quia ea, quæ sunt de lege naturæ; sciuntur esse vitanda, vel agenda, etiam si non sint scripta; sed quoniam concupiscentiæ prohibentur per præcepta secundæ tabulæ, conceditur, quod non sint de lege naturæ, strictè loquendo; nec per se notæ. *Scot.3.sent.dist.37.qu.vn.lit.a.A G.* Cap. 7. 7.

Non enim, quod volo bonum, hoc facio. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod peccatum non consistat in opere; quia non est voluntarium, & quod Cap. 7. 19.

non est voluntarium, non est peccatum. Sed auctoritas hæc Pauli debet intelligi quoad primos motus, de quibus videtur, quod non sint peccatum, quia præcedunt omnem actum voluntatis, & nulla ratio culpæ est in aliquo præcedente voluntatis actum. *Scot. 2. sent. dist. 42. qu. 3. lit. a. A. R.*

Cap. 8. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod in statu Innocentiæ habuissemus corpora immortalia; quod intelligendum, est, vt diximus, quantum ad actum, non quantum ad potentiam. *Scot. 2. sent. dist. 19. qu. vn. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, quod Christus non habuit necessitatem moriendi, quia Christus non habuit peccatum originale, vel actuale, ex quo ortum habuit mors; sed hæc auctoritas intelligitur demeritoriè, & sic in Christo conceditur, quod non fuerit causa demeritoria mortis; tamen stante, quod gloria Animæ Christi non redundaret in corpus quód fuit miraculum in potestate eius non erat non mori; quia posito tali miraculo sequebatur causa necessitatis, dissolutionis illius corporis, & separationis huius animæ à Corpore, & hoc fuisset in quarto instanti, sicut in tertio fuit illud miraculum, quia aliter Corpus Christi fuisset impassibile. *Scot. 3. sent. dist. 16. qu. 1. lit. a. A. F.*

Cap. 8. 14. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non sufficiat ad meritum voluntas cum charitate, sed requiratur influentia specialis Dei mouentis, quia nobis datur gratia, non vt agamus, sed vt agamur. *Scot. 1. sent. dist. 17. qu. 3. lit. H. b.*

Cap. 8. 24. *Spes autem, quæ videtur, non est spes.* Affertur hæc auctoritas ad probandum quod spes tantum inclinat in bonum commodum absens; vbi spes accipitur, non pro habitu, sed pro obiecto sperato. *Scot. 3 sent. dist. 31. qu. vn. lit. A.*

Cap. 8. 35. *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? &c.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino lib. 1. de moribus Ecclesi. c. 11. ad probandum, quod debeat dari charitas infusa formaliter inhærens in anima, qui dicit, *Virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est. Scot. 1. sent. dist. 17. qu. 1. lit. A.*

Cap. 9. 11. 12. *Cum autem nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent,* aut

aut mali, vt secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non datur aliquod meritum diuinæ prædæstinationis. Et si de præscientia aliter sentiendum sit. Non quod Deus effectiuè reprobet, sed quatenus ista actio reprobationis terminatur ad istud obiectum, & ad aliud, scilicet ad peccatum finaliter præuisum. *Scot. 1. sent. dist. 41. qu. vn. lit. a A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod si anima fuisset creata ante corporis formationem, non fuisset rationabile, quin habuisset aliquem actum, vel operationem ante corpus, & sic mereri, quod est falsum. *Scot. 2. sent. dist. 17. qu. vn. lit. C.*

Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod nulla datur causa prædestinationis, vel reprobationis, tamen, quamuis non detur causa prædestinationis, datur ex parte reprobationis, vt dictum est. Et illud verbum, *indurat non dat gratiam. Scot. 1 sent. dist. 41. qu. vn. lit. a A. A.* Cap. 9. 18

Voluntati enim eius quis resistet? &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod voluntas beneplaciti Dei semper impleatur, quæ voluntas beneplaciti est vltima determinatio, quæ potest poni ex parte voluntatis ipsius omnipotentis, volentis ponere effectum in esse. *Scot. 1. sent. dist. 46 qu. vn. lit a. A. A.* Cap. 9. 19.

An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Affertur hæc auctoritas, vt supra, ad probandum, quod non detur causa prædestinationis. *Scot. p. sent. dist. 41. qu. vn. lit. a. A.* Cap. 9. 21.

Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod sicut in præmiando, & glorificando bonos manifestatur diuina misericordia, ita in puniendo malos manifestatur bonitas diuinæ iustitiæ. *Scot. 1 sent dist. 41. qu. vn. lit. a. A.* Cap. 9. 22.

Si fuerit numerus filiorum Israel &c. reliquiæ saluæ fient. Affertur hęc auctoritas ad probandum pro argumento, quod non oporteat cogere Iudæos totaliter ad baptismū recipiendum, & legem suam relinquendum tamen aliter sentit Doctor, dicens, quod hæc auctoritas posset verifi- Cap. 9. 27

cari,

cari, si pauci hæbræi seruarentur in propria lege, & alij cogerentur. Cum etiam verum sit, quod hebræi recepturi sint Anti-Christum, vt dictum est supra. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu 9. lit. A.*

Capit. 10. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem &c.* Affertur hæc auctoritas in probationem sententiæ Magistri, qui in hoc loco declarat cum distinctione, quid de Deo, & diuinis sit credendum, & deinde docet, quid de creditis sit loquendum. *Scot. 1. sent. dist. 22. qu. vn. lit. post. B.*

Capit. 10. 14. 15. 17. *Quomodo credent, in quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante, nisi mittantur? Ergo fides ex auditu. &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum dari in nobis fidem acquisitam, quia non potest homo credere, nisi audiat aliquem prædicantem res credibiles, quæ fides generatur in homine, ex hoc. quod audit verba prædicantis, adhibendo fidem verbis suis. *Scot. 3. sent. dist. 23. qu. vn. lit. A. B.*

Capit. 10. 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi &c* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod paruuli baptizati non recipiant effectum baptismi, ex defectu enim auditus, non possunt recipere fidem, quod conceditur de fide acquisita, non autem de fide infusa, quæ recipitur per baptismum. *Scot 4 sent. dist. 4. qu. 2. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendam necessitatem fidei acquisitæ, de qua etiam potest accipi quod dixit Augustinus cont. Epist fundam. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas. Scot. Quolib. qu. 14. lit. G.*

Capit. 11. 6. *Si autem gratia, iam non ex operibus.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod respectu gratiæ nulla sit causa meritoria, quod intelligitur de causa meritoria de condigno in illo, cui confertur; tamen potest habere actum meritorium de congruo. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 1 lit. a. A. M.*

Capit. 11. 16. *Si radix Sancta, & Rami &c.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod paruulus in vtero matris possit baptizari: Nam Mater comparatur arbori, filij autem comparantur Ramis. Sed quamuis fructus

siue

siuè rami, in quantum sunt aliquid Arboris, sequantur conditionem Arboris, tamen in quantum sunt aliquid in se, possunt habere aliquas conditiones oppositas Arbori, hinc non currit paritas. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 3. lit. A.C.*

Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. Affertur hęc auctoritas ex Ambrosio super Epistolad Roman. ad probandum, quod in Baptismo fiat remissio omnis pœnę, & inquit, *Gratia Dei in Baptismate non requirit gemitum non requirit planctum, vel aliquod opus Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 5. lit. B.* Capit. 11. 29.

O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum quod non est hominis inuestigare rationem de prædestinatione, circa determinatum hominem, quamuis non dixit, & vix possit sciri, cum inspeciali, inopia secundum eum magna reddendæ rationis laborauerit Apostolus, cum dixit præfata verba, & in hoc consistit illa sententia Psalm. 35. *Iudicia Dei abyssus multa. Scot. 1. sent. dist. 4. quest. vn. lit. a. A.* Capit. 11. 33.

Iterum affertur hæc auctoritas. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei &c. Quis enim cognouit sensum Domini aut quis Consiliarius eius fuit? &c* ad ostendendam difficultatem circa materiam de prædestinatione, hinc cautè scrutandum est, ne, vt Magister in 1. sent. dist. 41. affirmat de aliquibus, *de profundo eatur in profundum* Est enim imperscrutabile misterium, & ideo saluanda est diuina libertas, & diuina iustitia, ac alia, quæ saluanda sunt circa Deum liberaliter eligentem. *Scot. ibid. qu. vn. lit. D.* Capit. 11. 33. 34.

Non est potestas, nisi à Deo &c Affertur ista auctoritas ad probandum, quod potentia peccandi sit à Deo, accipiendo tamen potentiam pro fundamento, scilicet pro potentia habente volitionem, idest voluntatem, quæ est à Deo quæ cum non sit ordinata ad actum malum, non potest dici mala. *Scot. 2. sent. dist. 44 qu. vn lit. a. A. A.* Capit. 13. 1.

Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod præcepta secundæ tabulæ includantur in præcepto de dilectione proximi. *Scot. 3. sent. dist. 37. qu. vn. lit. E.* Capit. 13. 8

Non adulterabis, non occides &c. & si quod est aliud mantum, Capit. 13. 9.

tum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Affertur hæc auctoritas ad idem expressè probandum, quia dilectio proximi omnia præcepta includit. *Scot. 3. sent. dist. 37. qu. vn. lit. E.*

Cap. 13. 10 *Plenitudo legis est dilectio.* Affertur hæc auctoritas ad probandum Sacram Theologiam esse scientiam practicam, non speculatiuam, quia consistit, non in speculatione, sed in dilectione. *Scot. Prolog. sent. qu. 4. lit. a. A.*

Cap. 14. 2. *Qui autem infirmus est, olus manducet.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam nequitiam hæreticorum, qui male hanc auctoritatē intelligebant, quoniam hic Apostolus non loquebatur de infirmitate corporis, sed spiritus, ac fidei, & vox *Olus*, non accipitur pro aliquo comestibili, sed pro re facilioris creditus. *Olus manducet*, idest faciliora consideret, sic etiam alias auctoritates, vel male intelligebant, vel negligebant contra catholicam veritatem. *Scot. Prolog. sent. qu. 2. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendam stultitiam, & falsitatem hæreticorum dicentium; Anathema esse infirmum aliud manducare, quam *Olus*: Nam Apostolus intelligit de infirmitate spirituali, & *Olus*, ibi accipitur pro pœnitentia, non pro aliquo comestibili. *Scot. 3. sent. dist. 23. qu. vn. lit. L.*

Cap. 14. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Affertur hæc auctoritas ad declarandum, quod iudicare est Præsidentis, hinc cum primus Præsidens non possit esse nisi Deus solus, sic ipse debet habere primam potestatem iudicandi. *Scot. 4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro alterius opinionis fundamento, quod iudicium requirat dominium in iudicante. Hinc Christus Dominus debet iudicare, quia habet dominium super omnes homines. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 1. lit. a. A.*

Cap. 14. 9. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum, & viuorum dominetur.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Christus sit Dominus omnium, & ratione creationis, & ratione redemptionis: Hinc secundum illam naturam, qua redemit, ei congruit auctoritas iudicandi, sed subordinata, & subprincipali. *Scot. 4. sent. dist. 48 qu. 1. lit. a. A.*

Omnes,

Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Affertur hæc au- Capit. 14.
ctoritas pro argumento ad probandum, quod malitia 23.
ministri impediat conferri verum baptismum tamen est sentiendum aliter, quia minister, quacumque malitia sit malus, siue hæresis, siue schismatis, siue morum salua vnitate Ecclesiæ, si intendit facere, quod facit Ecclesia & seruat modum Ecclesiæ, verè confert Baptismum, & talis Baptismus verè habet effectum suum in baptizato. *Scot. 4. sent. dist. 5. qu. 1. lit. A. A.*

AD CORINTHIOS.

NOn *sint in vobis schismata.* Affertur hæc auctoritas 1. Corinth.
ex Augustino, tract. 1. in Ioan. qua Henricus quolib. cap. 1. 10.
4. q 33. dicit illum asserere Corinthios se habere tanquã Deus, & modò suprahumano. Tamen Doctoris sententia est, quod non detur maior virtus, vel donum, charitate, quæ omnes alias virtutes excellit. In Scoti textu habetur *Cum sint in vobis schismata nonne homines estis?* forsan alia versione vsus est. *Scot. 3. sent. dist. 34. qu. vn. lit. a. A.*

Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, Ego qui- Cap. 1. 12.
dem sum Pauli, ego autem Apollo &c. Diuisus est Christus? Affertur hæc auctoritas ad reprobandum illos, qui gloriabantur de Ministris baptizantibus, quasi eis ascribatur Baptismus; vnde ortum habuit schisma inter græcos, qui in forma baptismi nominabant ministrum, & sic ad tollendum schisma ordinatum fuit inter eos, ne minister exprimeretur. *Scot 4. sent. dist. 3. qu 2. lit. C.*

Prædicamus &c. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam Cap. 1. 23.
Affertur hæc auctoritas ex Henrico quolib. 6. qu. 2. ad 24.
probandum, quod verbum sit potentia operatiua Patris inquantum habet rationem scientiæ practicę, sicque verbum, & Spiritus sanctus sunt rationes formales producendi, non producentes; quod negat Doctor. Doctissimus Vulpes noster p. 2. disp. 2. art. 5. inquit Christum, vt est Verbum diuinum incarnatum, non propriè appellari Dei virtutem, & sapientiam, sed solum appropriatè, quia negandum non est Patrem operari per virtutem, & sapientiam sibi cum alijs communem. Itaque diceremus virtutem, & sapientiam pro auctoritate, & potestate accipi,

cipi, quam Christus habebat infinitam, secundum quam se manifestabat esse verum Deum & sapienter operabatur. *Scot.2.sent.dist.1.qu.1.lit.a.A.*

Si enim cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod peccatũ occidentium Christum potuit redimi propter bonitatem actus Christi, & propter summam charitatem, qua patiebatur, non ex ignorantia illorum; quia verba Pauli intelliguntur, non de Iudæis, sed de principibus mundi; scilicet de Dæmonibus, quia, si sciuissent eum esse verũ Deum, non instigassent homines ad eius mortem, & hoc propter bonum sequutum ex morte Christi, scilicet Redemptionem hominis, quod bonum nolebant accidere. Vnde primò quando ignorauerunt hoc, instigauerunt Iudæos ad mortem, postquam verò sciuerunt ipsum esse Deum verum, persuaserunt contrarium. *Scot.3.sent.dist.20.qu.vn.lit.F.*

Cap.3. 15. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Affertur hæc auctoritas ad probandum Purgatorium, & intelligãtur ista verba de viro perfecto moriente cum venialibus quæ delentur per Purgatorij pœnam. *Scot.4.sent.dist.21.qu.1.lit.B.*

Cap.4. 6. *Quid autem habes quod non accepisti?* Affertur hæc auctoritas pro argumento, ad probandum, quod in Deo non sit iustitia, quia non est æqualitas; quod conceditur, scilicet, quod non sit æqualitas simpliciter, nisi ad se ipsum, quasi ad alterum, sed æqualitas aliqualis potest poni in Deo, qualis potest esse Domini excedentis ad seruum excessum. *Scot.4.sent.dist.46.qu.1.lit.a.A.M.*

Cap.5.1.3.4.5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt Vxorem Patris sui aliquis habeat. Ego quidem absens corpore; præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini Iesu Christi, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis; vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam culpã; ob cuius grauitatem Paulus anathematizauit Corinthios Excommunicatione maiori. Tribus enim vicibus, sic excommunicauit. Hinc instruentur Superiores, qui

saepe

sæpe sæpius, minima ex causa, hoc gladio vtuntur. *Scot. 4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. L.*

Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam differentiam loquutionis Apostoli. Ipse enim prohibet bonos communicare cum malis, sed non excommunicat, quia, vt etiam in alijs locis, non tradidit huiusmodi malos Satanæ, nec lata fuit sententia Excommunicationis. Dicitur enim, quod, quos Apostolus tradidit Satanæ, statim Diabolus potestatem habuit vexandi eos, non sic de alijs. *Scot. 4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. a N.* Cap. 5. 11.

Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? Affertur hęc auctoritas ad ostendendum, quod infideles non teneantur ad Confessionem faciendam. *Scot. 4. sent. dist. 17. qu. 1. lit. E.* Cap. 5. 12.

Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos; quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Affertur hæc auctoritas ad probandam legem Christi esse legem mititatis, & humanitatis, in qua non oportet habere iudicialia, & ideo hebræorum lex grauior erat. *Scot. 3. sent. dist. 40. qu. 1. l. B.* Cap. 6. 7.

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Affertur hæc auctoritas pro motiuo quærendi vtrum sit expediens baptizare adultum non vtentem ratione, aliquando tamen vsum, qui ante impedimentum fuerit consentiens, an potius expectare tempus, quo vtatur ratione? Hinc dicitur, quod si non fuerit impedimentum perpetuum, expedit expectare, si verò fuerit perpetuum, expedit baptizare, si tamen fuerit capax baptismi, quia alias exponeretur periculo damnationis. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 4. lit. B.* Cap. 6. 12.

Empti enim estis pretio magno glorificate, & portate &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod tanta sit ratio dominij ratione redemptionis, quanta est ratione creationis, & sic, huiusmodi ratione, debetur Christo summa Adoratio, duplici ex capite, & quia creator, & quia redemptor; sicut Religiosus, qui duplici vinculo tenetur ad Castitatem, & voto, & ordine suscepto. *Scot. 3. sent. dist. 9. qu. vn. lit. E.* Cap. 6. 20.

Cap.7.2. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod vna circumstantia Matrimonij est, quod sit determinatarum personarum, & hoc secundum naturalem rationem, scilicet quia honestum est personas sibi inuicem esse determinatas ad actum istum; quoniam vaga coniunctio est contra bonum prolis, contra bonum familiæ, & contra bonum communitatis. *Scot.4.sent.dist.26.qu.vn. lit.D.*

Cap.7.3. 4.5. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu, ad tempus.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod sit necessarium in matrimonio reddere debitum petenti, & hoc quantum ad finem principalem, scilicet ad bonum prolis, ac etiam quantum ad finem secundarium, scilicet cauendæ incontinentiæ. *Scot.4.sent.dist.32.qu.vn. l.a.* A.

Cap.7.6. *Hoc autem ad indulgentiam dico.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod propter alium finem, scilicet secundarium, ad euitandam fornicationem, ex infirmitate humanæ, naturæ post lapsum, sit etiam permissus actus coniugalis, & licet habeatur ista indulgentia in lege noua, tamen est verisimile, quod à principio humani lapsus fuerit etiam in antiqua, quamuis non expressè. *Sco 4.sent.dist.26.qu.un.lit.S.*

Cap. 7.10. *Præcipio non ego, sed Dominus.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod præceptum de non dimittenda vxore, sit præceptum Domini, non hominis: Apostoli enim fuerint præcones diuinorum præceptorum. *Scot. 4.sent. dist.17.qu.vn.lit.H.*

Cap.7. 12. *Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod quandoque Apostolus ex se loquebatur, sicut nunc fuit in propria persuasione circa cohabitationem viri conuersi ad fidem cum vxore infideli. *Scot.ibid lit. H.*

Cap.7. 13. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitarè cum illo, non dimittat illam.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod disparitas vultus non impediat Matrimonium. Sed sciendum est, quod

quod Apostolus dixit licere seruare matrimonium contractum cum infideli, sed non contrahere, quia non est eadem ratio vtrobique, & ideo Ecclesia laudabiliter ordinauit non fieri tale matrimonium, quia nec congruū, neque honestum est cum infideli contrahere. *Scot.* 4. *sent. dist.* 39. *quæst. vn. lit. a. A. D. E. H.*

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod matrimonium inter fidelem, & infidelem, solum fit ad conuersionem coniugis, sed cessante tali causa, Apostolus non docet contrahere, nec seruare. *Scot.* 4. *sent. dist.* 39 *quæst. vn. lit. E.* Cap. 7. 14.

Seruus vocatus es, non tibi sit cura, sed si potes fieri liber, magis vtere. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum seruitutem non esse laudabilem secundum se, nec multò magis detentionem alicuius in seruitutem: Tamen verum est multas obligationes esse iniustas, quæ seruandæ sunt, postquam factæ fuerunt. *Scot.* 4. *sent. dist.* 36. *q.* 1. *lit. C.* Cap. 7. 21.

Præterit enim figura huius mundi. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod post iudicium, quamuis cœlum non atteratur quantum ad substantiam, atteratur tamen quantum ad efficaciam, vel influentiam in ista inferiora, generando, & corrumpendo; quia post iudicium cessabit ista influentia. *Scot* 4. *sent dist.* 41. *qu.* 1. *lit. H.* Cap. 7. 31.

Quod si dormierit vir eius, liberata est mulier. Vel Rom. 7. 2. *Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri:* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod matrimonium sit indissolubile vsque ad mortem alterius coniugis, vel per relaxationem, vel reuocationem illius, qui statuit hoc esse indissolubile, scilicet Christus. *Scot.* 4. *sent. dist.* 31. *qu vn. lit B. C.* Cap. 7. 39.

Siquidem sunt Dij multi, & Domini multi, nobis tamen vnus Deus. Affertur hæc auctoritas, quoad primam partem pro argumento, ad probandum, quod non sit tantum vnus Deus. Tamen verba Apostoli intelliguntur de Idolis, & ideo de Dijs nuncupatiuè; non essentialiter; ideo prosequitur aliam partem auctoritatis, quæ est improbatiua, quod vnus sit Deus. *Scot.* 1. *sent. dist.* 2. *qu.* 3. *lit. a. A. C.* Cap. 8. 5. 6.

Si

Cap.8. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod euitanda sunt in viro manente in statu perfectionis acquirendæ mendacia etiam iocosa, vel officiosa, siue in factis indifferentibus ex se, sicut est comedere carnem, quod fuit factum indifferens, siue in factis, quæ habent aliquam malitiam, puta venialem; tamen si nata sunt scandalizare pusillos præsentes, vitanda sunt propter scandalum. *Scot.3.sentent. dist.38 qu.vn.lit.E.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum scandalum pusillorum, qui leues sunt ad credendum mala, quæ narrantur, & ideo periculosum est talia, quæ audiuntur ab alijs, illis referre. Hinc monentes, murmurantes, & indiscretè loquentes, vel narrantes mala, quæ secretò viderunt; nam si fiat animo lædendi famam proximi, mortaliter peccant. *Scot.4.sent. distinct.15. qu. 4. lit.D.*

Cap.9. 11. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metemus?* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod sicut pro bonis temporalibus nos refundimus spiritualia, sic est obligatio rationabilis, quod quis per beneficia spiritualia refundat bona temporalia, vt pro prædicatione, & oratione fit. *Scotus quolib.qu.20. lit.K.*

Cap.10. 4. *Petra autem erat Christus.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam falsitatem hæreticorum, qui volunt, quod hæc verba Consecrationis, *Hoc est corpus meum*, intelligantur figuratiuè, sicut iam dicta, sed errant, quia, vt dicit Augustinus lib. 82. quæst qu.69. *Circumstantia scripturarum solet illuminare sententiam*, vt patet hic, vt supra dictum est. Verba enim non figuratiuè, sed propriè intelliguntur, Vide superiùs. *Scot.4.sentent. dist.10.qu.1. l.A.*

Cap.10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Affertur hæc auctoritas ad probandum Sacramentum Eucharistiæ esse verum, & veraciter continere Corpus Christi sic à Christo institutum, non solum pro vltima cœna, sed & in posterum, vt patet per potestatem Apostolis traditam; & ideo profert hæc verba, *Panis,*

Panis, quem frangimus, ideſt nos Sacerdotes, *nonne participatio corporis &c. Scot.4.ſent.diſtinct.8.quæſt.1. litt.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento opinantis, quod non ſit clarum ab Eccleſia traditum, an remaneat in Euchariſtia panis, necne. Dicendum eſt tamen, quod ſi hoc apertè non habemus ſolemniter expreſſum in Scriptura, habemus ſolemniter ab Eccleſia, quæ in Concilio Lateranen. ſub Innocentio III. declarationem ſolemnem, & explicitam fecit aliquorum credendorum, inter quæ iſta veritas reperitur, quod panis, nihilo ſui remanente, conuertatur in Corpus Chriſti; Quicquid enim ibi dicitur credendum eſſe, tenendum eſt eſſe de ſubſtantia fidei per huiuſmodi declarationem. *Scot.4.ſent.diſt. 11.qu.3.lit.A.F.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quòd ſolus Sacerdos poſſit conficere Sacramentum Euchariſtiæ. *Frangimus nos*, ſcilicet Apoſtoli, & Diſcipuli eius. Si enim quilibet poſſit conficere, non oporteret aliquem alium alijs frangere. *Scot. 4 ſent.diſt.13.qu.2 lit.B.*

Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Affertur hæc auctoritas ex Diuo Auguſtino lib. 1. de Baptiſmo capit. 50. contra Donatiſt. pro argumento ad probandum, quod ſicut vnus panis fit ex multis granis, & corpus Chriſti ex multis membris, ita Eccleſia fit ex multis perſonis. Ideo cùm ex multis granis non colligatur aliquid ſignificatiuum, niſi panis, ſequitur, quod panis in Euchariſtia remaneat, quod eſt falſum, quia panis, & vinum in ratione ſpecierum repræſentant corpus Chriſti verum, & miſticum, ſicut ipſe panis & vinum, & grana etiam ita oſtendunt tantum ſenſibilitatem, quam habent, ſcilicet ratione accidentium. *Scot.4.ſent. diſt.11. qu.3. lit.a A. Ll.* Cap. 10. 17.

Si vero turpe eſt mulieri tonderi. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod mulier non poſsit ordines ſuſcipere, quia tonſura concomitatur Ordinem aliquem, ſicut ſignum ſignatum. *Scot 4 ſent.diſt.25. qu.2.lit.a.A.*

Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Sacramentum Euchariſtiæ poſſit recipi à non ieiunis; hinc Cap. 11. 6.

Apo-

Apostolus redarguit quos immoderatè de speciebus Sacramentalibus comedebant: Attamen dicendum, secundum Augustinum epist. 118 ad Ianuarium: Apostolus reprehendit, qui pransi Eucharistiam susceperunt, non eos, qui simpliciter Sacramentum comedebant. *Scot.4 sent.dist.8 qu.3. lit.a. A.H.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum esse manifestum, quod species Sacramentales nutriant, quamuis Sacramentum sit cibus animæ. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est*, hoc est ex perceptione specierum Sacramentalium. *Scot.4. sent dist.11.qu.3.lit.C.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod in aliqua transmutatione facta circa Eucharistiam, necesse sit redire substantiam, quia possunt species nutrire, ergo ex eis potest generari substantia, tali modo, non alio, quia ex substantia non fit substantia. *Scot.4. sent.dist.12. quæst.6.lit.a.A.*

Cap.11. 24. *Hoc facite in meam commemorationem*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Missa est repræsentatiua Passionis Christi Domini, tam repręsentando illam oblationem in Cruce, quam per eam obsecrando, vt scilicet per eum Deus acceptet sacrificium Ecclesię; Obsecratio enim fit per aliquod magis acceptum ei, qui rogatur, quam sit sibi supplicatio obsecrantis. *Scot. quolib. qu.20. lit.P.*

Cap.11. 28. *Probet autem se ipsum homo &c.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quòd negligentia affectata, vel crassa, propter quam quis non recolit peccata, non excusat à peccato, si recipit hoc Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in peccato mortali, quia debet se probare. *Scot.4. sent dist.9.qu.vn lit.A.E.*

Cap.11. 29. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Affertur hæc auctoritas ad ostendẽdum, quod aliquis recipit Sacramentum, non sacramentaliter, nec spiritualiter, quia recipit hostiam consecratam, sed omnino non discernit eam à communi cibo, quod elicitur ex præfatis verbis, *Non dijudicans Corpus Domini*, idest non discernens ab alijs cibis carnalibus; & hoc, vel ex infidelitate, sicut paganus, vel ex contemptu, etiam posita fide, vt malus Chri-

Christianus. *Scot. 4. senten. distinct.8. quaest.3. lit.A.*

Si quis esurit, domi manducet. Affertur hęc auctoritas pro argumento ad probandum Sacramentum Eucharistiæ posse suscipi à non ieiunis, quia ex his verbis videtur innuere Apostolus, quod antequam quis ad Eucharistiam accedat, deberet famem extinguere in domibus suis, sed debent verba Apostoli intelligi, non antequam veniat ad Eccelsiam, sed post recessum ab Ecclesia, ita quod non satisfaciat fami suæ de Eucharistia. *Scot.4.sent. dist.8.quest.3.lit.a.A.H.* Cap.11. 34.

Alij datur sermo scientiæ &c. alij fides &c. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probãdum, quod Theologia, quæ accipitur pro scientia, sit distincta à fide; & sic, cum illa non destruat istam, sequitur fidem posse stare cum scientia. Tamen Theologia est scientia large sumpta, non propriè, sed solum pro firmo assensu reuelatis, non pro euidentia, vt dicit Philosophus 12. Poster. *Scot. 3.sent: dist.24.quaest.vn.lit.a.A.* Cap.12. 8. 9.

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Affertur hęc auctoritas ad probandum, quod verba Pauli ad Hebr.11, *sine fide impossibile &c.* Intelligantur de fide respectu credibilium nobis reuelatorum, & de fide infusa. *Scot. 3. sent. dist.23.quaest.vn.lit.a.* A. Cap.12. 31.

Si tradidero corpus meum, itaut ardeam &c. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Charitas sit excellentius donum, omnibus alijs, quia excellentius perficit, quam aliæ virtutes, tam morales, quàm Theologicæ. *Scot.3.sent.dist.34.q.vn.lit.a.* A. Cap.13. 3.

Charitas nunquam excidit &c. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quamuis aliæ virtutes euacuentur, charitas tamen nunquam euacuetur, sed remanebit in Patria. *Scot.3 sent.dist.31. q.vn.lit.a.A.* Cap.13. 8.

Nunc autem manet fides, spes & charitas, tria hæc, maior autem &c. Affertur hæc auctoritas ad probãdum, quod spes sit virtus distincta à fide, & charitate. *Scot.3. sent. dist.26 q.vn.l a.*A. Cap.13. 13.

Maior autem horum est charitas. Affertur hæc auctoritas ad probandum, excellentiam voluntatis ratione sui habitus, scilicet charitatis, quæ maior est, & perfectior quocunque alio habitu. Hinc dicit Augustinus lib. 15. Cap.13. 13.

de Trinitate cap.19. *In donis Dei nihil maius est charitate.* *Scot.4.sent.dist.49.q.4.lit.K.*

Cap.15. 14.15. *Si autem Christus non resurrexit &c. inuenimur autem & falsi testes.* Affertur hæc auctoritas ad probādum, quod tota certitudo, quæ habetur de resurrectione Christi, & mortuorum, non est, nisi certitudo fidei, & non vltra. *Scot.3.sent.dist.23.qu.vn.lit.B.*

Cap.15. 16. *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod sacra Scriptura procedit diffinitiuè, diuisiuè,& arguitiuè, sicut aliæ scientiæ. Nihilominus non sic est, quia non credimus conclusioni propter principia, sicut requiritur ad veram scientiam. Nam eodem modo credimus huic, *mortui resurgent*, quo huic, *Christus resurrexit*, scilicet testimonio aliorum; ambæ enim sunt propositiones creditæ. *Scot.3.sent.dist.24.qu.vn.lit.E.*

Tangitur etiam hæc auctoritas per affirmationem ad probandam futuram mortuorum resurrectionem: sic, *Si Christus resurrexit, & mortui resurgent.* Doctor dicit, quod omnes auctoritates circa hoc, sunt persuasiones probabiles, vel tantum ex præmissis creditis. *Scot.4.sent.dist.43.qu.2.lit.V.*

Cap.15. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Affertur hæc auctoritas ad probandam resurrectionem à posteriori per iustitiam Dei retributiuam, cùm in hac vita virtuosi maiores patiantur pœnas, quàm vitiosi, quibus debet fieri retributio in alia vita. Doctor tamen dicit hanc rationem parum concludere, quia non apparet per rationem naturalem, quod vnus sit rector hominum, secundum leges iustitiæ retributiuæ, & punitiuæ. *Scot 4.sent.dist.43.qu.2.lit V.*

Cap.15. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarū.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quamuis omnia corpora Beatorum erunt gloriosa, & erunt fulgentia cum manifestatione sui, non erunt tamen æqualia, in complexione,& hoc secundum merita. *Scot.4. sent.dist.49.qu.15.lit.A.*

Cap.15. 41. *Stella enim differt à stella in claritate.* Affertur hæc actoritas ad ostendendam diuersitatem, siue differentiam,

quam

quam habebunt corpora gloriosa in claritate, secundum magis, & minus, ratione meritorum differentiæ, & huiusmodi claritas videtur sufficere, qua vnusquisque delectabitur. *Scot. ibid. lit. B.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod beatitudo omnium beatorum non sit ęqualis, nam licèt sit æqualis omnis appetitus diuinæ beatitudinis, merita tamen sunt causa talis inæqualitatis, & tunc totalis appetitus quietatur, quia est consonus voluntati, siue Regulæ superiori. *Scot. 4. sent. dist. 50. qu. 5. l. a. A. A.*

Stella differt à Stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, vt supra, quod beatitudo corporum non sit æqualis omnium, prę-cipuè, si ponantur dotes qualitates positiuæ. & hoc, siue ex redundantia animæ ad corpus, siue immediatè à Deo. *Scot. 4. sent. dist. 50. qu. 6. lit. a. A. M.* Cap. 15. 41. 42.

Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod corpus hominis beati, post resurrectionem, habebit dotem impassibilitatis, quia erit incorruptibile. *Scot. 4. sent. dist. 49. qu. 13. lit. a. A.* Cap. 15. 44.

Sed non prius, quod spiritale, sed quod animale, deinde quod spiritale. Affertur hac auctoritas ad probandum, quod paruulus nō possit in vtero matris baptizari, quia oportet prius nasci carnaliter, quàm spiritualiter renasci, scilicet per baptismum, & per ablutionem, quæ non potest fieri in vtero matris. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 3. lit. a. A. A.* Cap. 15. 46.

Omnes quidem resurgemus. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod resurrectio generalis hominum sit futura. *Scot. 4. sent. dist. 43. qu. 1. lit. a. A.* Cap. 15. 51.

In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod generalis resurrectio erit in instanti, sed non, quod omnium sit resurrectio in instanti, quia instanti resurrectionis prius mortuorum, adhuc aliqui viuent, & viuent vita mortali, & probabile est, quod soluent mortem, sicut Christus, & eius Sanctissima Mater, & resurgent posteriùs, quàm alij. *Scot. 4. sentent. dist. 43. q. 5. lit. a. A. Q.* Cap. 15. 52.

Oportet immortale hoc induere immortalitatem. Affertur hæc auctoritas ad probandum, vt supra, quod corpus hominis Cap. 15. 53.

nis beati, post resurrectionem erit impassibile, & immortale. *Scot.4.sent.dist.49.q.3.lit.a.A.*

2.Corinth. cap.2.4. *Ne forte abundãtiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod excommunicatio datur ad emendationem, & sic Paulus monet eos velle consolari, quos priùs excommunicauerat; consulatur inquam, ne absorbeatur profundiori tristitia, & hoc intelligit de peccatoribus pœnitentibus, non de illis, qui permanserunt Apostatæ à fide. *Scot.4.sent.dist.19.qu.vn.lit.M.*

Cap.2.15. *Quia Christi bonus odor sumus.* Affertur hæc auctoritas ad declarandum, quare Balsamum ingrediatur materiam Sacramenti Cõfirmationis, & est propter odorem, quem talis liquor habet, & significat bonam famam. *Scot.4.sent.dist.7.qu.1.lit.E.*

Cap.5.4. *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod homo naturaliter fugit mortem, quod patet experientia; & glosatur à Doctore. *Nolumus*, scilicet, non inspirati, siue certificati per fidem, & vtique *nolumus* naturaliter, sic, quod istud nolle, est secundum naturalem inclinationem, sed non est notum ratione naturali, quod istud nolle, sit secũdum inclinationem naturalem. *Scot.4.sent.dist.43.qu.2.lit.a.A.Bb.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum idem, scilicet, quod aliquis possit appetitu naturali refugere mortem, sicut actu liberè elicito, potest eligere, quemadmodum fecerunt Martyres. *Scot.4.sent.dist.49.qu.11.lit.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, quod homo naturaliter fugiat mortem, & appetat vitam: sed sic intelligitur, non quod quis non appetat mori, sed cupit superuestiri, idest magis appetit, quod semper possit esse immortalis vita sua. *Scot.4.sent.dist.49.qu.12.lit.a.A.G.*

Cap.5.7. *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Affertur hæc auctoritas ad probandum cum glosa in hoc loco, quod per fidem tantum illuminamur, non per speciem ergo non habemus, nec habere possumus in via simul scientiam, & fidem de credibilibus reuelatis

Sco-

Scot. 3. sentent. dist. 24. quæst. vn. lit. a. A.

Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Aut quæ pars fideli cum infideli? Affertur hæc auctoritas ad probandum, quòd disparitas cultus impediat matrimonium. *Scot. 4. sentent. dist. 39. quæst. vnic. lit. a. A.* Cap. 6. 14. 15.

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus &c. quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam veritatem, & auctoritatem Scriptorum sacræ Scripturæ, quos non est verisimile fuisse mentitos, cùm damnent mendacium, neque deceptos, quia habuerunt reuelationes, quibus firmiter adhæserunt. Sicut Apostolus fuit certus circa ea, quæ vidit; & asserens certum non dicit mendacium. Ex Pauli enim reuelatione, & ex alijs multis aliorum sanctorum cocluditur, quod intellectus eorum non potuerunt induci ad assentiendum ita firmiter in illis reuelatis, quorum notitiam non potuerunt habere ex naturalibus sicut contrarij asserunt, nisi ab agente supernaturali. *Scot. Prolog. sentent. quæst. 2. lit. B C.* Cap. 12. 2. 3. 4.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, secundum expositionem Sanctorum, Paulum vidisse diuinam essentiam; & non fuit apparenter, sed verè factum, quod ibi narrat. Impossibile enim fuit, credere illam videre, nisi eam verè videret. *Scot. Prolog. sent. q. 2. lit. C.*

Iterum tangitur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, quod Deus non possit nominari, quia, si verba, quæ Paulus audiuit, sunt ineffabilia, multo magis ineffabilis est qui talia demonstrauit. Sed debet intelligi, quod non possit nominari perfectè, imperfectè tamen conceditur, idest aliquo vti nomine non expressiuo diuinitatis. *Scot. 1. sent. dist. 22. qu. vn. lit. a. A.*

Iterum tangitur eadem auctoritas ad probandum, quod possit dari species repræsentans diuinam essentiam, sicut dicendum est Paulum habuisse post raptum vsque ad tertium cœlum, hoc enim est de perfectione intellectus, quod possit conseruare speciem obiecti, cessante præ-

sentia

ſentia obiecti. *Scot.2.ſent.diſt.3.q.9.lit.F.*

Iterum eadem auctoritas tangitur ad probandum, pro argumento, quod potentiæ naturales mutuò ſe impediunt in operando, quod conceditur naturaliter; ſed diſpenſatiuè, ſicut fuit in Chriſto, aliter dicendum eſt. *Scot.3.ſent.diſt.15.qu.vn.lit.a.* A.A.

Cap.13. 10. *Secundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, ſed non in deſtructionem.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non poſſit deleri character Sacerdotalis, nec ſequitur, quod ſicut poteſt quis miniſterialiter conferre, ſic poſſit miniſterialiter auferre, ſcilicet degradando; neque valet illa Regula, facilius eſt deſtruere, quàm conſtruere; non valet, inquam, in miniſterialiter agente in Sacramentis. *Scot.4.ſent.diſt.13.q.2.lit.C.*

AD GALATAS.

1.Galat.9. *SI quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Affertur hæc auctoritas ad oſtendendam cauſam, propter quam Paulus vſus eſt maiori excommunicatione: rara enim huius gladij percuſſio fuit in Eccleſia, & niſi ob rem grauem. *Scot.4. ſenten. diſt. 19. quaſt. vn.lit L.*

Cap.2. *Cùm autem veniſſet Cæphas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat; prius enim, quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat, cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe timens, eos, qui ex circumciſione erant, & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi &c. ſi tu cùm Iudæus ſis gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare.* Affertur hæc auctoritas ad oſtendendum, an Petrus peccaret, nec ne? Nam hoc factum eſt ſtatim poſt tertium Concilium, 14. vel 15. anno poſt Paſſionem Chriſti Domini. Et an Petrus peccauerit, fuit controuerſia inter Auguſtinum epiſt. 9 ad Hieronymum quæ incipit, *Habeo gratiam* Et Hieronymum epiſtola ad Auguſtinum, quæ incipit, *Tres ſimul epiſtolas.* Doctor autem eſt cum Auguſtino pro Paulo, aſſerens Petrum venialiter peccaſſe, ſed hoc dictum eſt alibi. *Scot.4.ſent.diſt.3.qu.4.lit.K.L.*

Sed

Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij. Affertur hæc auctoritas pro fundamento rationis, propter quam Paulus, vt iam dictum est, restitit in faciem Petri. *Scot. ibid. lit. L.* Cap. 2. 14.

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Affertur ista auctoritas ad probandũ pro argumẽto, quod fictus recipiat gratiam Baptismi, quia aliter non indueret Christum, quod fit per gratiam. Attamen dicendum est, quod fictus induat Christum quia ascribitur familiæ Christi, sed non induit per gratiam, & charitatem, quod indumẽtum specialiter est filiorum Christi. Vel fictus est baptizatus non in Christo, sed in Christi nomine, quia non in virtute Christi interius baptizantis. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 5. lit. A. H* Cap. 3. 27.

Non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, sed omnes vnum in Christo. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod mulier possit suscipere Ordinem, quia sunt æquales masculus, & fœmina. Nihilominus ista æqualitas est quantum ad gratiam, & gloriam, non autem quantum ad gradum excellentem habendum in Ecclesia, secundum quam est personarum distinctio. *Scot 4 sent. dist. 25. qu. vn. lit, A F.* Cap. 3. 28.

Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Baptismus euacuauit Circumcisionem, sed tempore, quando fuit licita, vel prohibita, supra dictum est. *Scot. 4. sent. dist. 3. qu. 4. lit. a. A F.* Cap. 5. 2.

Fructus autem spiritus est Charitas, gaudium, pax, patientia &c Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod fruitio non sit actus voluntatis; Doctor tamen inquit, quod frui sit actus voluntatis, non passio, & si fructu fruimur, non est intelligendum in ratione principij formalis, sed in ratione obiecti: Nec ista auctoritas dicit aliquid consequens actum, esse fruitionem, sed fructum, idest fruitionis obiectum. *Scot. 1. sent. dist. 1. qu. 3. lit. G.* Cap. 5. 22.

AD EPHESIOS.

2. Ephes. 10. *IPsius enim sumus factura.* Affertur hæc auctoritas ex Hieronymo Coment.ad Ephes.cap.2.lib.1. in epist.1.pro Varrone in hac dist.ij.tertij sent.ad probandum, quod Christus possit dici creatura, sic inquiens, *multique timore trepidant, ne Christum creaturam dicere compellantur &c. nos liberè proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem &c. Scot.3.sent.dist.11. qu. 1 lit.a.A.*

Cap.3. 10. *Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in Cœlestibus per Ecclesiam.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod mysterium Incarnationis multi nescierunt, sicut videtur innuere Hieronymus in hoc loco dicens, *vt innotescat &c. vt per me his, qui rebus cœlestibus per omnem Ecclesiam principantur, multiformis sapientia innotescat*; vnde deducitur Angelicas potestates, vel dignitates præfatum mysterium nesciisse, donec completa esset passio Christi, & Apostolorum prædicatio fuisset Gentibus dilatata, quod tamen vsque tunc non latuit maiores. *Scot.2 sent.dist.10.qu.vn.lit.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod fides non erat necessaria ante Christi aduentum; quia non fuit necessarium homini credere, quod Angeli ignorauerunt, veluti fuit Incarnatio Christi. Sed hæc non est bona consequentia. Angeli ignorauerunt, igitur homines non crediderunt, quia potest esse, quod Deus reuelet prius homini credibilia, quàm Angelo. *Scot.3.sent.dist.25. qu.1.lit.a.A*

Cap.4. 32 *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod matrimonium non sit Sacramentum, nisi extensè acceptum, scilicet pro signo sacræ rei, cuius non est causa, nec signum efficax. Nihilominus communiter tenetur ab Ecclesia esse verum, & efficax Sacramentum, vnum ex septem à Deo institutis. *Scot.4.sent.dist.26.qu.1.lit.K.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod Sacramentum Matrimonij significat vnionem Christi, & Eccle-

Ecclesiç, & ideo omnia in eo debent seruari, quæ Christiano matrimonio conueniunt. *Scot.4.sent. dist.42. qu. vn.lit.N.*

Filij obedite Parentibus vestris in Domino. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quamuis filius teneatur obedire Patri, tamen non tenetur illi obedire, quoad matrimonium subeundum; Et si possit dici, quod teneatur, hoc erit solum de congruo, non de necessitate præcepti. *Scot.4 sent.dist.29.q.vn.lit.H.* Cap.6.1.

AD PHILIPPENSES.

D*Esiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. Affertur hęc auctoritas pro Henrico in Quolib.4.q.33. dicente, quod quis potest se habere circa delectationes modo inhumano, idest quasi diuino, quando mors non solum non timetur, sed cum gaudio appetitur, vt Paulus, sed de hoc dictum est supra. *Scot.3.sentent. dist.34. qu.vn.lit.a.A.* 1. Philip. 23.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod appetitus naturalis non sit, nisi inclinatio quædam ad perfectionem suam, & quod quis appetitu elicito liberè possit appetere mortem, sicut Martyres, qui propter Christum appetunt mori, quamuis appetitu naturali refugiant. *Scot.4.sent.dist.49.qu.10.lit.A.*

Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo: Affertur hæc auctoritas ex Augustino, tract.17. in Ioann. ad probandum, quod sicut per naturalem generationem communicata est filio natura eadem, & magnitudo substantiæ, sic & æqualitas communicata est: Verba Augustini, *Non ipse se faciebat æqualem Deo, sed ille illum genuerat æqualem, si se ipsum faceret æqualem Deo, caderet per rapinam*. Scot. *Quolibet.qu.6.lit.KK.* Cap.2.6.

Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. Affertur hæc auctoritas ex Ambrosio lib.1, de fide cap.5. ad probandum pro argumento Generationē Filij esse incomprehensibilem ab intellectu creato; qui sic ait, *Si pax Christi supra omnem sensum est, quemadmodum non est supra omnem sensum tanta generatio?* quod potest intelligi concomitanter, siue quantum ad Cap.4.7.

illud, quod includit communicationem essentiæ, quæ fit per ipsam essentiam personæ ad personam. *Scot. Quolib. qu.5. lit. R.S.*

AD COLOSSENSES.

1. Coloss. 13. *TRanstulit in Regnum filij dilectionis suæ.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino 15. de Trinit. cap. 19. ad probandum, quod Filius generetur de substanria Patris; hinc ait, *quod autem dictum est filij charitatis suæ, nihil aliud intelligatur, quàm filij sui dilecti, quam filij postremò substantiæ suæ. Scot. 1. sentent. dist. 5. quæst. 2. lit. a. A.*

Cap. 1. 20. *Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, secundùm multorum opinionem, quod Christus per redemptionem humani generis vniuersaliter totam naturam meliorauit. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 1. it. a A.*

AD THESSALONICENSES.

1. Thessal. 4. 15. *MOrtui, qui in Christo sũt, resurgẽt primi.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino lib. 20. de Ciuit. Dei c. 20. ad probandum, quod resurrectio illorum, qui inueniũtur mortui in aduentu Domini Iudicis, præcedet resurrectionem illorum, qui inueniuntur viui, duratione. Isti enim morientur, subitò postea resurgent, & resurrectio eorum sequetur illornm resurrectionem, qui erant iam mortui. *Scot. 4. sent. dist. 43. qu. 5. lit. L.*

1. Ca. 4. 16. *Rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.* Affertur hæc auctoritas ad manifestandam differentiam inter bonos, & malos. Boni enim rapientur in aera obuiam Christo, mali verò relinquentur in terra, & sic boni non erunt in Valle Iosaphat, sed forte mali ibi erunt in circuitu, vel in tanto loco, quantus poterit eos capere, forte Iudex erit vbi fuit eius transfiguratio. *Scot. 4. sent. dist 47. qu. 1. lit. H.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod corpora hominum post resurrectionem non

non habebunt agilitatem, quia non indigerent aliquo motore, vel Angelis ad mouendum. Sed sciendum est, quòd Beatorum corpora, per dotem agilitatis rapientur obuiam Christo, & si portarentur ab Angelis, non sequeretur aliqua imperfectio, quia ille raptus esset ad reuerentiam, non ad supplendum indigentiam, vel imperfectionem virtutis motiuæ in eis, quam perfectam habent. *Scot.4. sent.dist.49. qu.14.lit.a.A.N.*

Sic semper cum Domino erimus. Affertur hæc auctoritas ad reprehendendam opinionem Astronomorum, qui dicunt post 36000 annorum erit reditus omnium rerum, propter motum primi mobilis, quod tanto interuallo facit circulum suum; quod per istam, & alias auctoritates falsum est, vt diximus. *Scot.4. sent.dist.43. quæst.3. litt.A.* 1.Ca.4.16.

Dies Domini, sicut fur in nocte veniet. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum tempus, vel horam Resurrectionis, vel Iudicis. Sed non videtur ista auctoritas intelligenda esse ad literam, quia Christus videbitur à cunctis, sicut etiam iudicandi ad inuicem videbuntur, hinc in illa hora non erunt tenebræ mediæ noctis. Forsan erit hora, qua Christus resurrexit, vel qua iudicatus fuit à Pilato, vel qua expirauit in Cruce; sed quodcumque horum ponatur, illud de media nocte, exponendum est pro incertitudine. *Scot.4. sent.dist.43.qu 5.lit.O.* 1.Cap.5.2.

Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod non omnia verba prohibitiua erant ad excommunicationem, quoniam hi non erant traditi Satanæ, quod erat signum maioris excommunicationis. Erat enim prohibitio simpliciter, vel quantum ad aliquos actus & non plena excommunicatio. *Scot.4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. M.* 2.Thessal. Cap.3.6.

Quod, si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, vt fratrē. Affertur hæc auctoritas ad idem probandum, scilicet Apostolum, quandoque bonis prohibuisse communicare cum malis, & hoc non simpliciter, sed quoad particula- 2. Ca.3 14. 15.

res actus, & ad corruptionem, quam ipse intendebat. *Scot.4 sent.dist.19.qu.vn.lit.M.*

AD TIMOTHEVM.

1.Timot.1. 20. *QVam quidem repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenaus, & Alexander, quos tradidi Satana, vt discant non blasphemare.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam causam, ob quam Paulus altera vice vsus est gladio maioris excommunicationis, in qua etiam apponit desiderium emendationis, ad quod tendere debet excommunicatio. *Scot.4.sent.dist.19. qu. vn.lit.M.*

1.Cap.1.2. *Obsecro ergo primùm omnium fieri obsecrationes &c. pro omnibus hominibus, pro Regibus &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Sacerdotes, qui non habent curam, vel Capellaniam, vel præbendam, debent applicare Sacrificium pro mortuis in communi, puta parentibus, benefactoribus, Principibus, & Prælatis in cōmuni. *Scot.Quolib.qu.20.lit.M.*

1.Cap.2.4. *Deus omnes homines vult saluos fieri.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod voluntas beneplaciti Dei non semper adimpleatur, quia non omnes homines sunt saluati; sed hæc auctoritas intelligitur quantum est ex parte Dei, & de voluntate antecedenti, pro quāto dedit eis dona naturalia, leges rectas, & adiutoria communia sufficientia ad salutem, non autem quātum ad voluntatem consequentem, & beneplaciti, quia tunc aliter dicendum est. *Scot.1. sent.dist.46. quæst.vn. lit.a.A.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendam distinctionem de nolle miseriam inesse alteri, in quo consistit ratio misericordiæ, scilicet nolle antecedens, & nolle consequens, sicut est velle antecedens, & velle consequens, nam Deo volente, omnia bona eueniunt, sic, Deo nolente, multæ miseriæ prohibentur, ne eueniant. Neque enim vlla miseria tollitur, nisi Deo nolente illam inesse; multæ autem tolluntur. Respectu boni creaturæ semper Deus habet velle antecedens, respectu mali tollendi, vel prohibendi creaturæ, semper habet nolle antecedens.

tecedens. At sicut non habet semper velle consequens respectu boni, ita neque semper habet nolle consequēs respectu mali amouendi, & tale nolle est misericordis; & si erit respectu mali imminentis totaliter, erit misericordia liberans, si partialiter; erit misericordia mitigans, vel parcens. *Scot.4.sentent.dist.46.qu.2.lit.C.*

Docere autem mulierem non permitto. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod mulier non possit suscipere Ordines, nec docere, scilicet Doctrinam publicam in Ecclesia; & licèt Apostolus non statuat, tamen non permittit, quia neque Christus permisit, nec etiam Matrem suam, cui nulla alia poterit comparari, posuit in gradu aliquo ordinis in Ecclesia. Non permittitur inquam, mulierem, saltem post lapsum, tenere gradum eminentem in specie humana. *Scot.4.sent.dist 25.qu.2. lit.D.* 1.Cap. 2. 12.

Adam non est seductus. Mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Affertur ista auctoritas ad ostendendum, quod peccatum Euæ multo grauius fuit, quàm peccatum Adæ, quia ipsa voluit vsurpare gradum Diuinitatis, hinc seducta fuit cum tali auiditate. *Scot.2.senten. dist.21.qu.2.lit.F.* 1.Cap.2. 14.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probãdum, quod peccatum primi Parentis non fuit ex ignorantia; peccauit enim ex electione in eo, quod elegit sic complacere vxori suæ. *Scot.4. sent. dist 22.qu.vn.lit.a.A.C.*

Vnius vxoris virum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non liceat dispensare cum Bigamo, nec ad Sacerdotium, neque ad Diaconatum, quamuis habeatur Lucium Papam dispensasse cum Episcopo Panormitano, qui fuit Bigamus. *Scot.4.sent.dist inct.33.quæst.2. lit.B.* 1.Cap.3. 2.

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod Sacramentum Ordinis non impediat Matrimonium. Sed hoc dictum Apostoli intelligitur sic. *Vnius vxoris*, idest non plurium, non solum de præsenti, sed etiam de præterito, quia tunc esset Bigamus, & irregularis, & si licuit in primitiua Ecclesia vxorem habere, hoc erat de matrimonio contracto ante Ordinem, non post. *Scot.4.sent.dist.37.qu.vn.lit.a.A.C.*

Noli

assumpsit humanam naturam, non Angelicam, & sic fecit redemptionem hominum, & non Angelorum; primò, quia non tota species Angelica cecidit; secundò, quia non tali suggestione efficaci peccauit, sicut homo, qui dæmonis tentatione, ac mulieris suasu peccauit. *Scot. 3. sent. dist. 20. q. vn. lit. E.*

Cap. 4. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Deus habeat omnem notitiam determinatam de omnibus, quantum ad omne cognoscibile in eis. Glossa dicit, in hoc loco, *Omnia nuda &c.* idest, *ex omni parte plenè visa*. *Scot. 1. sent. dist. 39. qu. 1. & 2. lit. a. A.*

Cap. 5. 8. *Didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam.* Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod Christus acquirebat cognitionem aliquam, quod conceditur de cognitione sensitiua, & intuitiua actuali, quia verè in Christo aliquis sensus profecit. *Scot. 3. sent. dist. 14. qu. 3. lit. a. A.*

Cap. 5. 25. *Neque vt sæpè offerat semetipsum.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Eucharistia acceptatur ratione bonæ voluntatis offerentis, non præcisè ratione voluntatis celebrantis, quia hoc est ad meritum personale, nec immediatè ratione voluntatis Christi offerentis, quia Christus ibi offertur, vt contentus in Sacrificio, non tamen hic immediatè offert Sacrificium. *Scot. Quolib. qu. 20. lit. P.*

Cap. 9. 28. *Christus semel oblatus est.* Affertur hæc auctoritas ad idem, & sic intelligitur, *semel oblatus est*, supple à se ipso offerente; alioquin videretur, quod vnius Missæ celebratio æquiualeret Passioni Christi, si idem esset offerens immediatè, & oblatus. *Scot. Quolib. quæst. 20. lit. P.*

Cap. 11. 1. *Est enim Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Fides ex ratione sua, inclinat tãtum in verum latens. Nam secundum Glossa in hoc loco, credere debemus, quæ nondum apparent, frustra enim esset habitus, cuius inclinatio esset tunc impossibilis. *Scot. 3. sent. dist. 31. qu. vn. lit. A.*

Cap. 11. 6. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Affertur hæc auctoritas

ritas ad probandum, quod ſit neceſſarium ponere Fidem infuſam reſpectu credibilium nobis reuelatorum. *Scot.3.ſent.diſt.23.qu.vn.lit.A.A.*

Iterum aſſertur eadem auctoritas ad oſtendendum, quod qui non crediderit, nec actu, nec habitu, condemnabitur; hinc pueri baptizati, quamuis non habeant Fidem actu, habent tamen habitu, & ideo ſaluantur. *Scot.4.ſent.diſt.4.qu.1.lit.A.*

Iterum aſſertur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, quod paruuli non recipiant effectum Baptiſmi, ſcilicet gratiam, quia gratia non infunditur ſine Fide, quod verum eſt in paruulo, quia non infunditur gratia ſine ſpe, & Fide, quoniam, quando Deus hominem ſanat, totum ſanat; tamen de potentia abſoluta poteſt ſimpliciter gratiam ſine fide infundere; cum ſint duo abſoluta ſimpliciter diſtincta, & ſic non ſequitur, quod paruuli non recipiant effectum baptiſmi, nempè gratiam. *Scot 4.ſent.diſt.4.q.2.lit.a.A.A.*

Iterum aſſertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod ſententia, & opinio Cypriani epiſtola 73. ad Iubaianum tenentis inualidum eſſe baptiſmum hæreticorum, ob id ab hæreticis baptizatos iterum eſſe baptizandos, fuerit vera; fuit enim Sanctiſſimus Martyr, qui non potuit eſſe ſine fide, ergo ipſe non errauit, ergo eius ſententia vera, ſed dicendum eſt ſententiam Cypriani non fuiſſe hæreticam, neque ipſum errauiſſe, quoniam, etſi fuerit de veritate Chriſtianæ fidei, baptiſmum eſſe Sacramentum nouæ legis, & neceſſarium ad ſalutem; tamen, quod baptiſmus collatus ab hæretico fuerit validus, non fuit ſic expreſſum, nec tempore Cypriani declaratum, & ideo in nullo errauit, niſi fortè venialiter. *Scot.4.ſent.diſt.5.qu.1.lit.a.A.D.*

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt. Aſſertur hæc auctoritas ad oſtendendum, quod quamuis Deum eſſe ſit demonſtrabile, tamen eſt de fide, ſicuti etiam de vnitate Dei dicendum eſt. *Scot.1.ſent. diſt.2. qu.3.lit.C.* Cap. 11.6.

Iterum aſſertur eadem auctoritas ad probandum, quod, quamuis poſſit concludi, ratione naturali, Deum eſſe per ſe notum, tamen populo Hebræo rudi, & inexerci-

AD EPHESIOS.

2. Ephes. 10. *Ipsius enim sumus factura*. Affertur hæc auctoritas ex Hieronymo Coment. ad Ephes. cap. 2. lib. 1. in epist. 1. pro Varrone in hac dist. ij. tertij sent. ad probandum, quod Christus possit dici creatura, sic inquiens, *multique timore trepidant, ne Christum creaturam dicere compellantur &c. nos liberè proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem &c. Scot. 3. sent. dist. 11. qu. 1 lit. a. A.*

Cap. 3. 10. *Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in Cælestibus per Ecclesiam*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod mysterium Incarnationis multi nescierunt, sicut videtur innuere Hieronymus in hoc loco dicens, *vt innotescat &c. vt per me his, qui rebus cœlestibus per omnem Ecclesiam principantur, multiformis sapientia innotescat*; vnde deducitur ~~Angelicas potestates~~, vel dignitates præfatum mysterium nesciisse, donec completa esset passio Christi, & Apostolorum prædicatio fuisset Gentibus dilatata, quod tamen vsque tunc non latuit maiores. *Scot. 2 sent. dist. 10. qu. vn. lit. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod fides non erat necessaria ante Christi aduentum; quia non fuit necessarium homini credere, quod Angeli ignorauerunt, veluti fuit Incarnatio Christi. Sed hæc non est bona consequentia. Angeli ignorauerunt, igitur homines non crediderunt, quia potest esse, quod Deus reuelet prius homini credibilia, quam Angelo. *Scot. 3. sent. dist. 25. qu. 1. lit. a. A*

Cap. 4. 32 *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod matrimonium non sit Sacramentum, nisi extensè acceptum, scilicet pro signo sacræ rei, cuius non est causa, nec signum efficax. Nihilominus communiter tenetur ab Ecclesia esse verum, & efficax Sacramentum, vnum ex septem à Deo institutis. *Scot. 4. sent. dist. 26. qu. 1. lit. K.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod Sacramentum Matrimonij significat vnionem Christi, & Eccle-

Ecclesię, & ideo omnia in eo debent seruari, quæ Christiano matrimonio conueniunt. *Scot.4.sent. dist.42. qu. vn.lit.N.*

Filij obedite Parentibus vestris in Domino. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod quamuis filius teneatur obedire Patri, tamen non tenetur illi obedire, quoad matrimonium subeundum; Et si possit dici, quod teneatur, hoc erit solum de congruo, non de necessitate præcepti. *Scot.4 sent.dist.29.q.vn.lit.H.* Cap.6.1.

AD PHILIPPENSES.

D*Esiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. Affertur hęc auctoritas pro Henrico in Quolib.4.q.33. dicente, quod quis potest se habere circa delectationes modo inhumano, idest quasi diuino, quando mors non solum non timetur, sed cum gaudio appetitur, vt Paulus, sed de hoc dictum est supra. *Scot.3. sentent. dist.34. qu.vn.lit.a.A.* 1. Philip. 23.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod appetitus naturalis non sit, nisi inclinatio quædam ad perfectionem suam, & quod quis appetitu elicito liberè possit appetere mortem, sicut Martyres, qui propter Christum appetunt mori, quamuis appetitu naturali refugiant. *Scot.4. sent.dist.49.qu.10.lit.A.*

Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo: Affertur hæc auctoritas ex Augustino, tract.17. in Ioann. ad probandum, quod sicut per naturalem generationem communicata est filio natura eadem, & magnitudo substantiæ, sic & æqualitas communicata est: Verba Augustini, *Non ipse se faciebat æqualem Deo, sed ille illum genuerat æqualem, si se ipsum faceret æqualem Deo, caderet per rapinam*. *Scot. Quolibet.qu.6.lit.KK.* Cap.2.6.

Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. Affertur hæc auctoritas ex Ambrosio lib.1. de fide cap.5. ad probandum pro argumento Generationē Filij esse incomprehensibilem ab intellectu creato; qui sic ait, *Si pax Christi supra omnem sensum est, quemadmodum non est supra omnem sensum tanta generatio?* quod potest intelligi concomitanter, siue quantum ad Cap.4.7.

S illud

illud, quod includit communicationem essentiæ, quæ fit per ipsam essentiam personę ad personam. *Scot. Quolib. qu. 5. lit. R.S.*

AD COLOSSENSES.

1. Coloss. 13. T*Ranstulit in Regnum filij dilectionis suæ.* Affertur hęc auctoritas ex Augustino 15. de Trinit. cap. 19. ad probandum, quod Filius generętur de substanria Patris; hinc ait, *quod autem dictum est filij charitatis suæ, nihil aliud intelligatur, quàm filij sui dilecti, quam filij postremò substantiæ suę. Scot. 1. sentent. dist. 5. quæst. 2. lit. a. A.*

Cap. 1. 20. *Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quę in terris, siue quæ in cælis sunt.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, secundùm multorum opinionem, quod Christus per redemptionem humani generis vniuersaliter totam naturam meliorauit. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 1. lit. a A.*

AD THESSALONICENSES.

1. Thessal. 4. 15. M*Ortui, qui in Christo sũt, resurgẽt primi.* Affertur hæc auctoritas ex Augustino lib. 20. de Ciuit. Dei c. 20. ad probandum, quod resurrectio illorum, qui inueniũtur mortui in aduentu Domini Iudicis, præcedet resurrectionem illorum, qui inueniuntur viui, duratione. Isti enim morientur, subitò postea resurgent, & resurrectio eorum sequetur illorum resurrectionem, qui erant iam mortui. *Scot. 4. sent. dist. 43. qu. 5. lit. L.*

1. Ca. 4. 16. *Rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.* Affertur hæc auctoritas ad manifestandam differentiam inter bonos, & malos. Boni enim rapientur in aera obuiam Christo, mali verò relinquentur in terra, & sic boni non erunt in Valle Iosaphat, sed forte mali ibi erunt in circuitu, vel in tanto loco, quantus poterit eos capere, forte Iudex erit vbi fuit eius transfiguratio. *Scot. 4. sent. dist 47. qu. 1. lit. H.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod corpora hominum post resurrectionem non

non habebunt agilitatem, quia non indigerent aliquo motore, vel Angelis ad mouendum. Sed sciendum est, quòd Beatorum corpora, per dotem agilitatis rapientur obuiam Christo, & si portarentur ab Angelis, non sequeretur aliqua imperfectio, quia ille raptus esset ad reuerentiam, non ad supplendum indigentiam, vel imperfectionem virtutis motiuæ in eis, quam perfectam habent. *Scot.4. sent.dist.49. qu.14.lit.a.A.N.*

Sic semper cum Domino erimus. Affertur hæc auctoritas ad reprehendendam opinionem Astronomorum, qui dicunt post 36000 annorum erit reditus omnium rerum, propter motum primi mobilis, quod tanto interuallo facit circulum suum; quod per istam, & alias auctoritates falsum est, vt diximus. *Scot.4. sent.dist.43. quæst.3. litt.A.* 1.Ca.4.16.

Dies Domini, sicut fur in nocte veniet. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum tempus, vel horam Resurrectionis, vel Iudicis. Sed non videtur ista auctoritas intelligenda esse ad literam, quia Christus videbitur à cunctis, sicut etiam iudicandi ad inuicem videbuntur, hinc in illa hora non erunt tenebræ mediæ noctis. Forsan erit hora, qua Christus resurrexit, vel qua iudicatus fuit à Pilato, vel qua expirauit in Cruce; sed quodcumque horum ponatur, illud de media nocte, exponendum est pro incertitudine. Scot.4.*sent.dist.43.qu 5.lit.O.* 1.Cap.5.2.

Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod non omnia verba prohibitiua erant ad excommunicationem, quoniam hi non erant traditi Satanæ, quod erat signum maioris excommunicationis. Erat enim prohibitio simpliciter, vel quantum ad aliquos actus & non plena excommunicatio. *Scot.4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. M.* 2.Thessal. Cap.3.6.

Quod, si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, vt fratrẽ. Affertur hæc auctoritas ad idem probandum, scilicet Apostolum, quandoque bonis prohibuisse communicare cum malis, & hoc non simpliciter, sed quoad particula- 2. Ca.3 14. 15.

res actus, & ad corruptionem, quam ipse intendebat. *Scot.4 sent.dist.19.qu.vn.lit.M.*

AD TIMOTHEVM.

1.Timot.1. 20. *QVam quidem repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenaus, & Alexander, quos tradidi Satana, vt discant non blasphemare*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam causam, ob quam Paulus altera vice vsus est gladio maioris excommunicationis, in qua etiam apponit desiderium emendationis, ad quod tendere debet excommunicatio. *Scot.4.sent.dist.19.qu.vn.lit.M.*

1.Cap.1.2. *Obsecro ergo primùm omnium fieri obsecrationes &c. pro omnibus hominibus, pro Regibus &c.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Sacerdotes, qui non habent curam, vel Capellaniam, vel præbendam, debent applicare Sacrificium pro mortuis in communi, puta parentibus, benefactoribus, Principibus, & Prælatis in cõmuni. *Scot.Quolib.qu.20.lit.M.*

1.Cap.2.4. *Deus omnes homines vult saluos fieri*. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod voluntas beneplaciti Dei non semper adimpleatur, quia non omnes homines sunt saluati; sed hæc auctoritas intelligitur quantum est ex parte Dei, & de voluntate antecedenti, pro quãto dedit eis dona naturalia, leges rectas, & adiutoria communia sufficientia ad salutem, non autem quãtum ad voluntatem consequentem, & beneplaciti, quia tunc aliter dicendum est. *Scot.1. sent. dist.46. quæst.vn. lit.a.A.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendam distinctionem de nolle miseriam inesse alteri, in quo consistit ratio misericordiæ, scilicet nolle antecedens, & nolle consequens, sicut est velle antecedens, & velle consequens, nam Deo volente, omnia bona eueniunt, sic, Deo nolente, multæ miseriæ prohibentur, ne eueniant. Neque enim vlla miseria tollitur, nisi Deo nolente illam inesse; multæ autem tolluntur. Respectu boni creaturæ semper Deus habet velle antecedens, respectu mali tollendi, vel prohibendi creaturæ, semper habet nolle an-

tecedens.

tecedens. At sicut non habet semper velle consequens respectu boni, ita neque semper habet nolle consequẽs respectu mali amouendi, & tale nolle est misericordis; & si erit respectu mali imminentis totaliter, erit misericordia liberans, si partialiter; erit misericordia mitigans, vel parcens. *Scot.4.sentent.dist.46.qu.2.lit.C.*

Docere autem mulierem non permitto. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod mulier non possit suscipere Ordines, nec docere, scilicet Doctrinam publicam in Ecclesia; & licèt Apostolus non statuat, tamen non permittit, quia neque Christus permisit, nec etiam Matrem suam, cui nulla alia poterit comparari, posuit in gradu aliquo ordinis in Ecclesia. Non permittitur inquam, mulierem, saltem post lapsum, tenere gradum eminentem in specie humana. *Scot.4.sent.dist 25.qu.2. lit.D.* 1.Cap. 2. 12.

Adam non est seductus. Mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Affertur ista auctoritas ad ostendendum, quod peccatum Euæ multo grauius fuit, quàm peccatum Adæ, quia ipsa voluit vsurpare gradum Diuinitatis, hinc seducta fuit cum tali auiditate. *Scot.2.senten. dist.21.qu.2.lit.F.* 1.Cap.2. 14.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probãdum, quod peccatum primi Parentis non fuit ex ignorantia; peccauit enim ex electione in eo, quod elegit sic complacere vxori suæ. *Scot.4. sent. dist.22.qu.vn.lit.a.A.C.*

Vnius vxoris virum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod non liceat dispensare cum Bigamo, nec ad Sacerdotium, neque ad Diaconatum, quamuis habeatur Lucium Papam dispensasse cum Episcopo Panormitano, qui fuit Bigamus. *Scot.4.sent.dist inct.33.quæst.2. lit.B.* 1.Cap.3. 2.

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod Sacramentum Ordinis non impediat Matrimonium. Sed hoc dictum Apostoli intelligitur sic. *Vnius vxoris*, idest non plurium, non solum de præsenti, sed etiam de præterito, quia tunc esset Bigamus, & irregularis, & si licuit in primitiua Ecclesia vxorem habere, hoc erat de matrimonio contracto ante Ordinem, non post. *Scot.4.sent.dist.37.qu.vn.lit.a.A.C.*

Noli

1.Cap.4. 14. *Noli negligere gratiam, quę in te est, quę data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Affertur hæc auctoritas ad probandum non reperiri differentiam inter Episcopum, & Presbyterum in primitiua Ecclesia, quantum ad actum Confirmationis, & hoc, quia nulli erant Sacerdotes, nisi Apostoli, qui tunc soli sufficere poterant. Potest etiam dici, quod Pontifex poterat concedere facultatem conferendi Sacramentũ Confirmationis, etiam non Episcopis, vel facere Episcopum solummodo quantum ad istum actum, sicut legitur fecisse Gregorium. *Scot. 4. sent. dist. 4. qu. 1. lit. D. E.*

1.Cap. 6.16. *Qui solus habet immortalitatem.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod solus Deus sit immutabilis, quia Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 1. exponens hæc verba Pauli, inquit, *Non autem diceret solus habet, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est. Scot. 1. senten. dist. 8. qu. 5. lit. a. A.*

2. Thim. Cap. 2. 20. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argẽtea, sed lignea, & fictilia.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod nulla sit causa prædestinationis, quia sicut est voluntas artificis, quare hæc materia sit sub hac forma, & alia sub alia, sic dicendum est de diuina prædestinatione, quæ tota committitur diuinæ voluntati, quamuis alij dicant, quod non sit simile in exẽplo, nisi quia est aliqua differentia ex parte subiecti, secundum quam vasa fictilia sunt in contumeliam maiorem, vasa lignea in minorem, vasa aurea in honorem maiorem, vasa verò argentea in minorem. *Scot. 1. sent. dist. 41. qu. vn. lit. a. A.*

2. Cap. 3.26. *Erunt homines seipsos amantes &c. & hos deuita.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam differentiam sermonis Pauli, quando scilicet excommunicationem publicauit contra grauiter delinquentes, & quando prohibuit cõmercium cum peccatoribus, hinc dicit, *deuita*, sed non tradit Satanæ. *Scot. 4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. M.*

2.Cap. 3.16. *Omnis doctrina diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod pro statu isto sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non potest attingere lumine naturali intel-

lectus,

lectus, & hæc est sacra Theologia. *Scot. Prolog. senten. qu. 4. lit. a. A.*

Alexander Aerarius multa mihi mala ostendit &c. quem & tu deuita. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam eamdem prohibitionem; quam supra diximus, de non habendo commercium cum aliquibus peccatoribus. *Scot. 4. sent. dist. 19. qu. vn. lit. M.* 2. Cap. 4. 14.

AD TITVM.

H*Vius rei gratia reliqui te Cretæ &c. vt constituas per Ciuitates Presbyteros.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Episcopi non differant à Presbyteris secundum intentionem Hieronymi in primitiua Ecclesia, & ponitur dist. 95. can. 5. *olim idem*; quamuis aliter habeatur dist. 21. can. 1 *Cleros, & Clericos.* Tamen est aliqua differentia in aliquibus actibus, vt fuit Confirmatio, & alijs, qui Episcopis, & non Presbyteris conueniunt; sed de hoc dictum est alibi. *Scot 4. sent. dist. 7. qu. 1. lit. D.* Tit. ca. 1. 5.

Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita. Affertur hæc auctoritas ad probandam correptionem peccatorum, ac deinde prohibitionem commercij. *Scot. 4. sent dist. 15. qu. vn. lit. M.* Cap. 2. 10.

AD HEBRAEOS.

F*Igura substantiæ eius.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod character idem est ac figura, quia in prædicta auctoritate, quod nos habemus *figura*, in græco legitur *character*, quamuis vniuersaliter character accipiatur pro signo. *Scot. 4. sentent. dist. 6. quæst. 9. lit. A.* Hebr. 1. 3.

Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod omnes Angeli mittantur, quæ verba intelligenda sunt tam de missione ad intra, quàm ad extra indistinctè. *Scot. 2. sent. dist. 10. qu. vn. lit. a. A. A.* Cap. 1. 14.

Nunquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod verbum assum- Cap. 2. 16.

assumpsit humanam naturam, non Angelicam, & sic fecit redemptionem hominum, & non Angelorum; primò, quia non tota species Angelica cecidit; secundò, quia non tali suggestione efficaci peccauit, sicut homo, qui dæmonis tentatione, ac mulieris suasu peccauit. *Scot. 3. sent. dist. 20. q. vn. lit. E.*

Cap. 4. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Deus habeat omnem notitiam determinatam de omnibus, quantum ad omne cognoscibile in eis. Glossa dicit, in hoc loco, *Omnia nuda &c.* idest, *ex omni parte plenè visa*. *Scot. 1. sent. dist. 39. qu. 1. & 2. lit. a. A.*

Cap. 5. 8. *Didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam.* Affertur hæc auctoritas ad probandum pro argumento, quod Christus acquirebat cognitionem aliquam, quod conceditur de cognitione sensitiua, & intuitiua actuali, quia verè in Christo aliquis sensus profecit. *Scot. 3. sent. dist. 14. qu. 3. lit. a. A.*

Cap. 5. 25. *Neque vt sæpè offerat semetipsum.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod Eucharistia acceptatur ratione bonæ voluntatis offerentis, non præcisè ratione voluntatis celebrantis, quia hoc est ad meritum personale, nec immediatè ratione voluntatis Christi offerentis, quia Christus ibi offertur, vt contentus in Sacrificio, non tamen hic immediatè offert Sacrificium. *Scot. Quolib. qu. 20. lit. P.*

Cap. 9. 28. *Christus semel oblatus est.* Affertur hæc auctoritas ad idem, & sic intelligitur, *semel oblatus est*, supple à se ipso offerente; alioquin videretur, quod vnius Missæ celebratio æquiualeret Passioni Christi, si idem esset offerens immediatè, & oblatus. *Scot. Quolib. quæst. 20. lit. P.*

Cap. 11. 1. *Est enim Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod Fides ex ratione sua, inclinat tãtum in verum latens. Nam secundum Glossa in hoc loco, credere debemus, quæ nondum apparent, frustra enim esset habitus, cuius inclinatio esset tunc impossibilis. *Scot. 3. sent. dist. 31. qu. vn. lit. A.*

Cap. 11. 6. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Affertur hæc auctoritas

ritas ad probandum, quod sit necessarium ponere Fidem infusam respectu credibilium nobis reuelatorum. *Scot.3.sent.dist.23.qu.vn.lit.A.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod qui non crediderit, nec actu, nec habitu, condemnabitur; hinc pueri baptizati, quamuis non habeant Fidem actu, habent tamen habitu, & ideo saluantur. *Scot.4.sent.dist.4.qu.1.lit.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum pro argumento, quod paruuli non recipiant effectum Baptismi, scilicet gratiam, quia gratia non infunditur sine Fide, quod verum est in paruulo, quia non infunditur gratia sine spe, & Fide, quoniam, quando Deus hominem sanat, totum sanat; tamen de potentia absoluta potest simpliciter gratiam sine fide infundere; cum sint duo absoluta simpliciter distincta, & sic non sequitur, quod paruuli non recipiant effectum baptismi, nempè gratiam. *Scot 4.sent.dist.4.q.2.lit.a.A.A.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod sententia, & opinio Cypriani epistola 73. ad Iubaianum tenentis inualidum esse baptismum hæreticorum, ob id ab hæreticis baptizatos iterum esse baptizandos, fuerit vera; fuit enim Sanctissimus Martyr, qui non potuit esse sine fide, ergo ipse non errauit, ergo eius sententia vera, sed dicendum est sententiam Cypriani non fuisse hæreticam, neque ipsum errauisse, quoniam, etsi fuerit de veritate Christianæ fidei, baptismum esse Sacramentum nouæ legis, & necessarium ad salutem; tamen, quod baptismus collatus ab hæretico fuerit validus, non fuit sic expressum, nec tempore Cypriani declaratum; & ideo in nullo errauit, nisi fortè venialiter. *Scot.4.sent.dist.5.qu.1.lit.a.A.D.*

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod quamuis Deum esse sit demonstrabile, tamen est de fide, sicuti etiam de vnitate Dei dicendum est. *Scot.1.sent. dist.2. qu.3.lit.C.* **Cap. 11.6.**

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod, quamuis possit concludi, ratione naturali, Deum esse per se notum, tamen populo Hebræo rudi, & inexercitato

tato in intelligibilibus, non erat notum, nisi per legem. Vel glossa cum Doctore auctoritatem, id est, si non habet, nec habere possit aliam notitiam de Deo. *Scot. 3. sent. dist. 37. qu. vn. lit.* G.

Cap. 13. 12. *Confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod conscientia sit in voluntate; quia bonitas ad voluntatem pertinet. Tamen dicendum est, quod bonitas competere potest etiam intellectui ratione habitus practici extrinsecè, & hoc modo conscientia dicitur bona propter conuenientiam ad voluntatem, cuius propriè est bonitas; sicut etiam voluntas dicitur recta, vel curua propter actum rectum, vel non rectum speculatiuum, qui est formaliter in intellectu, tamen bonitas est voluntatis, sicut rectitudo intellectus, sed bonitas magis transumitur ad intellectum practicum, quàm ad speculatiuum. *Scot. 2. sent. dist. 39. qu. 2. lit. a. A. D.*

IACOBI.

Iacob cap. 1. 14. **P***Atientia autem opus perfectum habet.* Affertur ista auctoritas ad probandum, quod persequutio exterior tyrannorum frequenter est electis materia proficiendi in virtutibus, præcipuè in patientia. *Scot. 3. sentent. distinct. 30. qu. vn. lit. D.*

Cap. 2. 10. *Quicumque enim totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod peccata per pœnitentiam dimissa redeunt in recidiuante; sed verba Apostoli sic explicantur, *factus est omnium reus*, quantum ad damnationem, quæ est generalis pœna peccatorum mortalium omnium. Vel factus est omnium reus quantum ad auersionem à fine, quæ est communis omni peccato mortali, & non sunt intelligenda quantum ad grauitates speciales singulorum peccatorum. *Scot. 4. sent. dist. 22. qu. vn. lit. a. A. S.*

Cap. 2. 13. *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod in punitione malorum non concurrat ex parte punientis iustitia cum misericordia. Sed hæc aucto-

auctoritas Iacobi intelligitur de misericordia liberante, non de parcente, quæ excludit partem pœnæ, quæ ei debetur; sic non faciens misericordiam, misericordiam non habebit. *Scot.4.sent.dist.46.qu.vn.lit.A.Q.*

Superexaltat autem misericordia iudicium. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod in punitione est misericordia parcens, & tunc Iudicium erit perfectius, quia in eo concurrunt plures virtutes, quàm si tantum iustitia concurreret absque misericordia. *Scot. ibid. lit. M.* Cap.2. 13.

Dæmones credunt, & contremiscunt. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod malus Angelus non velit necessariò malum, quia actus timoris, & fidei sunt boni; quod potest concedi, scilicet quod habeat aliquem bonum actum diminutè, bonitate morali; non enim credunt propter illum finem, propter quem credendum est. Circumstantia finis est necessaria ad bonitatem moralem. *Scot. 2. sent. dist. 7. quæst. vn.lit.a.A.S.* Cap.2. 19.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod possit esse peccatum in sermone, cum membrum, quo vtimur in sermone, sit in potentia seruili respectu voluntatis. *Scot. 2. sent.dist.42. qu.2.lit.a.A.N.* Cap.3. 2.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quàm sit pronus homo ad peccandum lingua, & quàm faciliter peccet, qui referendo alijs audita cum animo lædendi, cùm sit contra charitatem, mortaliter peccat, sicut venialiter, si referat ex inconsideratione; lingua enim in lubrico posita est. *Scot.4.sent. dist.15.qu.4.lit.D.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod ideo in tali organo naturali etiam fit Extrema Vnctio, quia lingua est ad duo opera naturæ ordinata, ad gustum scilicet, & ad loquelam, quibus frequenter venialiter delinquitur. *Scot.4.sent.dist.43.qu.2.lit.a.A.*

Et lingua ignis est. Affertur auctoritas ad probandum idem, quod supra scilicet, quod possit esse peccatum in sermone *Scot.2. sent. dist. 42.qu.2.l.a.A.* Cap.3.6.

Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini. Affertur hæc auctoritas ad ostendendam promulgatio- Cap.5. 14.

nem Sacramenti Extremæ vnctionis, quia eius institutio ex alio loco sacræ Scripturæ colligitur. *Scot. 4. sent. dist. 2. qu. 1. lit. D.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum Sacramentum Extremæ Vnctionis fuisse institutum à Iacobo non autem à Christo, quod est falsum; Quia Iacobus fuit tantum Preco, siue promulgator huius Sacramenti à Christo iam instituti. *Scot. 4 sent. dist. 23. qu. vn. lit. a. A. E.*

Cap. 5. 15. *Si in peccatis est remittuntur ei.* Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod peccata non mortalia, sed venialia remittantur per Extremam Vnctionem; quia mortalia solùm per pœnitentiam, & per Baptismum remittuntur. *Scot. 4. sent. dist. 23. qu. vn. l. a A. E.*

Cap. 5. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam malam intelligentiam scripturarum, qua aliqui dicebant errando circa Sacramentum pœnitentiæ, quod à quolibet non Sacerdote possit dispensari, sed falluntur hæretici, quia Apostolus non intelligebat de pœnitentia, siue de confessione Sacramentali. *Scot. Prolog. sent qu. 2. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad declarandum, quod Iacobus non fuit institutor Sacramenti pœnitentiæ, sicut per ista verba sequentia apparet, *orate pro inuicem,* per quæ verba non intendebat aliquod Sacramentum instituere, nec promulgare, quia apud ipsum non erat huiusmodi auctoritas instituendi. *Scot. 4 sent. distinct. 2. qu. 1. lit. D.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, & probandum, simul cum alijs auctoritatibus Ioel. 3. & Matth. 3. quod pœnitentia virtus non sit tantum vnius pœnæ inflictiua, sed plurium pœnarum. *Scot. 4. sent. dist. 14. qu. 3. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod Iacobus non dedit preceptum de confessione facienda, neque præceptum promulgauit, quia non habebat auctoritatem obligandi totam Ecclesiam, cum esset Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Et verba Iacobi sunt persuasio ad humilitatem; vt scilicet nos generaliter

liter confiteamur esse peccatores apud proximum, & ad charitatem fraternam, per quam subueniamus nobis inuicem per orationem. *Scot. 4. sent. dist. 17. quaest. uniq. lit. A. H. I.*

PETRI I.

MINistrate in fide vestram virtutem. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod virtutes, & beatitudines, siue dona non sunt distincta, quia vel ipsæ virtutes, vel species explicitè per dona ostenduntur, vel benedictiones, vt patet de illis, quas enumerat Paulus I. Corinth. cap. 12. & de illis, quas refert hic Petrus. *Scot. 3. sent. dist. 34. qu. vni lit. Q.* 2. Pet. cap. 1. 5.

Per quem Cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod mundus sit purgandus per ignem, vel de nouo productum, vel in aliquo loco conseruatum. Possunt enim vapores in aere existentes per iuxta positionem igniri, & talis ignitio successiua, nunc illorum vaporum, nunc istorum, saltem pro toto aere suprapposito regioni habitabili hominum, potest dici illa conflagratio. *Scot. 4. sent. dist. 47. qu. 2. lit. A. B.* 2. cap. 3. 12.

IOANNIS.

SI dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod in statu innocentiæ poterat esse peccatum veniale, sicut etiam nunc cum quacunque gratia in perfectissimis viris, & sic Adam potuit peccare venialiter. *Scot. 2. sent. dist. 20. quaest. 1. lit. A.* 1. Io. c. 1. 8.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendum, quod vnusquisq; potest confiteri se peccatorem esse coram proximo suo, quia quilibet aliquo peccato veniali grauatur, & quod ad humilitatem persuadetur. *Scot. 4. sen. dist. 17. qu. vn. lit. I.*

Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Af-

fertur hæc auctoritas ad probandum, quod peccatum Angelorum fuerit superbia, quia non fuit concupiscentia oculorum, neque concupiscentia carnis. Nihilominus Ioannes loquitur de peccatis hominum, quibus cōmuniter peccant, & vtique omnia continentur in illo ternario. Sed non oportet primum peccatum spirituale, quo Angeli primitùs peccauerunt, contineri sub isto peccato carnali; sed quia fuit immoderatus appetitus delectabilis, potius ad concupiscentiam oculorum reducitur. *Scot. 2. sentent. dist. 6. qu. 2. lit. a. a. A. R.*

Iterum affertur eadē auctoritas ad ostendendū, quod tres virtutes morales, fortitudo scilicet, tēperantia, & iustitia sint genera virtutū intermedia, sed de hoc in nostro Scoto Morali videndum est. *Scot. 3. sent. dist. 34. q. vn. lit.* K.

Iterum affertur eadem auctoritas ad ostendendam correspondentiam de congruo trium satisfactionum in genere ad tria membra peccatorum, carnis scilicet, auaritiæ, & superbiæ, quibus correspondent, ieiuniū scilicet carni, elargitio eleemosynarum auaritię, & oratio superbię, & vocatur ista correspondentia pœnę ad culpam. *Scot. 4. sentent. dist. 15. quæst. 1. lit. M.*

1. Cap. 4. 7. *Diligamus nos inuicem.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Scriptura S. procedit sciētificè, scilicet diuisiuè, definitiuè, & arguitiuè, sicut alię scientiæ naturales procedunt. Sed hoc non est verum, quia semper procedit ex creditis. Ioannes enim hoc dicit ad mouendum animos nostros ad Christi amorem. Quod autē Christus tali dilectione nos dilexerit, hoc est nobis creditū, nec habemus maiorē certitudinē de conclusione, quā de principijs. *Scot. 3. sent. dist. 24. q. vn. lit. E.*

1. cap. 4. 16. *Deus charitas est.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandam distinctionem inter gratiam, & charitatem, quia charitas est perfectio simpliciter, & non illa, sed distinctio inter ista duo est ex hoc, quia charitas respicit Deum in ratione diligibilis, sed gratia respicit Deum, vt acceptantem, & diligentem. *Scot. 2. sent. dist. 27. qu. vnic. lit. a. A.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod non possit esse peccatum in Spiritum sanctum, quia tunc esset contra charitatem, cui opponi-

tur

tur odium, quod non potest esse, quia in Deo non reperitur ratio mali, & consequenter neque odium; sed dicendum est, quod peccatum in Spiritum sanctum non est contra charitatem, sed contra spem, & dicitur irremissibile, quia directè aufert diuinam misericordiam. *Scot. 2. sentent. dist. 43. quæst. vn. lit. a. A. B.*

Diligamus Deum, quoniam Deus prius dilexit nos. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod rationes amoris non solum sunt boni honesti, sed etiam boni communicatiui, & amantis; & quia amantis, ideo digni amari. *Scot. 3. sent. dist. 27. qu. un. lit. D.* 1. Cap. 4. 19.

Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod eodem habitu charitatis sit diligendus Deus, & proximus, quamuis non eodem actu, vt aliàs dictum est. *Scot. 3 sent dist. 28. qu. un. lit. a. A.* 1. Cap. 4. 21.

Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod tantum tres sint personæ diuinæ. *Scot. 1 sent. dist. 2. q. 5. lit. a. A.* 1. Cap. 5. 7.

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod semper, quando diuina Trinitas nominatur, nominatur nominibus relatiuis, non autem per absoluta, sic habetur in sacra Scriptura. *Scot. 1. sent. dist. 26. qu. vn. lit. post H.* tangitur etiam *dist. 25. qu. un. lit. E.*

Si *quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Affertur hæc auctoritas ad ostendendam (vt dictum est supra) differentiam inter excommunicationem maiorem, & prohibitionem, quibus vsus est Paulus in pluribus locis Epistolarum suarum. *Scot. 4. sentent. dist. 19. qu. un. lit. M.* 2. Ioann. cap. vn. 10.

APOCALYPSIS.

QVi *aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod Sacerdoti suscipienti ordinem non conferantur claues, quia solus Christus claudit, & aperit. Sed dicen- Apocal. cap. 3. 7.

dicendum est, quod solus Christus claudit, & aperit Claui praeeminenti, quae est auctoritas sententiandi vniuersaliter, & irreuocabiliter: Sacerdoti autem datur clauis ministerialis, quae est auctoritas particularis, & reuocabiliter sententiandi. *Scot. 3. sent. dist. 19 qu. vn. lit. a. A. N.*

Cap. 9. 7. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*. Affertur haec auctoritas pro argumento ad probandum, quod damnati non consumentur, & per consequens non cruciabuntur igne, quia aliter paulatim deperderetur eorũ substantia. Quod verum esset, si ignis, vt causa naturalis dimitteretur suae potentię actiuae naturali. Sed in inferno aliter dicendum est, quia hoc erit secundum diuinam dispositionem. *Scot. 4. sent. distinct. 44. quaest. 3. lit. a. A. K.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod damnati ad fugiendam miseriam appetant non esse; & ratio est, quia non esse non est maximum malum, nec per se odibile, quia tantum negatiue se habet; sed miseria est per se malum, & per se odibile, sed quidquid sit, ait Doctor, credo tamen, *quod propter fugam pœnae vellent non esse*. *Scot. 4. sent. dist. 50. qu. 2. lit. a. A.*

Cap. 10. 5. 6. 7. *Et Angelus &c. iurauit &c. quia tempus non erit amplius*. Affertur haec auctoritas ad probandum, quod post iudicium cessabit motus corporum cęlestium, sed ista auctoritas posset exponi quantum ad impletionem Prophetiae, quia non erit tempus, vt Prophetia impleatur, quia erit omnis impleta. Sed quomodo cessabit cęli motus dictum est. *Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 2. lit. C.*

Cap. 12. 7. *Factum est praelium magnum in Caelo, Michael, & Angeli eius praeliabantur cum Dracone &c.* Affertur haec auctoritas ad probandum, quod non fuit vnum instans inter creationem, pugnam, casum malorum, & confirmationem bonorum Angelorum, quia si tantum fuisset vnũ instans, in quo mali demeruerunt, & boni meruerunt, in illo non fuisset pugna tentationis, & ita non adscriberetur ista victoria eis in laudem, & excellens meritum eorum. *Scot. 2. sent. dist. 5. qu. 1. lit. K.*

Iterum affertur eadem auctoritas, quasi ad idem; Nam ideo victoria ista cedebat in laudem bonorum Angelorum, quia

quia per peccatum malorum Angelorum fuit incentiū tentationis in bonis; qui tentationem istam vicerunt. *Scot.ibid.qu.2.lit.N.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum contra opinantem, quod non omnes Angeli peccauerunt propria voluntate, scilicet nullo instigante; Nam Draco pugnando tentauit Michaelem, & sic dicendum est alios tentasse, videlicet malos sibi consentientes; vnde ex hoc capite non potest ab eis negari redemptio, sicut conceditur homini, qui tentatus fuit. *Scot.3.sent.dist.20. qu.vn. lit.a. A.*

Characterem bestiæ. Affertur hæc auctoritas ad explicandam Characteris significationem, qui accipitur pro figura; sicut figuræ, quibus literæ scribuntur, dicuntur Characteres; & protractæ figuræ, quibus in incantationibus mali vtuntur, etiam Characteres appellantur. Nam figura in fronte, vel in manu, significat ipsum pertinere ad familiam Bestiæ, de qua loquitur. *Scot. 4. sent.dist.6. qu.5.lit.A.* **Cap.13. 17.**

Opera enim eorum sequuntur illos. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod peccatum etiam consistit in operatione. *Scot.2 sent dist.42. qu.3.lit.a.A.* **Cap.14. 13.**

Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum. Affertur hæc auctoritas pro argumento ad probandum, quod peccatum Adæ fuit grauissimum, quia per ipsum maxima fuit inflicta pœna, scilicet mors, quæ est vltimum terribilium; tamen licet sit pœna generalior, & magis extensa, quàm alia, non est maior, quàm sit pœna, quæ debetur peccato mortali. *Scot.2 sent.dist.21.qu.2 lit.a. A.H.* **Cap. 18. 7.**

Iterum affertur hæc auctoritas ad probandum, quod cuilibet peccato mortali correspondeat satisfactio propria; sed hic Ioannes loquitur de pœna damnatorum; ibi enim valde præcisè, & propriè commensuratur pœna culpæ, sed non sic in pœna pœnitentiali. *Scot.4.senten. dist.15.qu.1.lit.a.A.S.*

Iterum affertur eadem auctoritas pro argumento ad probandum, quod in punitione malorum non concurrat ex parte punientis iustitia cum misericordia: sed est sciēdum, quod hæ voces, *tantum*, & *quantum* non dicunt æquali-

æqualitatem quātitatis, sed proportionis, hoc est, quod qui plus se inordinatè glorificauit, quàm alius, ille secundum proportionem similem plus alio punietur. *Scot. 4. sent. dist. 46. qu. 4 lit. a. A. Q.*

Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod pœna damnatorum non sit æqualis, & hoc propter grauitatem culpæ, cui debetur maior carentia boni, ad quod peccator erat ordinatus, & hoc dicitur etiam de igne afflictiuo. *Scot. 4. sent. dist. 50. qu. 4 lit. a. A. O.*

Cap. 21. 16. *Ciuitas in quadro posita est*. Affertur hæc auctoritas ad probandam connexionem virtutum moralium, quæ vtique conceditur quantum ad bonum æternum, non autem quantum ad bonum temporale, vt dictum est alibi. *Scot. 3. sent. dist. 36. qu. vn. lit. a. A.*

Cap. 21, 23. *Ciuitas non eget Sole*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod post iudicium cessabit motus Cælorum. Attamen intelligitur hæc auctoritas, non quod Sol tunc non luceat, sed significatur hoc, quod illis, qui erunt in æterna beatitudine, sol vsum lucis suæ non præstabit, vt etiam inquit Hieronymus in Esaiam lib. 17. cap. 60. *Quando cælo, terraque transeuntibus, solis, ac lunæ cessabit officium, & erit Dominus ipse lumen perpetuum. Scot. 4. sent. dist. 48. qu. 2. lit. C.*

Cap. 22. 4. *Videbunt faciem eius*. Affertur hæc auctoritas ad probandum, quod natura humana sit beatificabilis: beatificatur enim per visionem essentiæ diuinæ, quod nobis Dominus noster Iesus Christus concedat per merita B. Mariæ Virginis, Sanctorum Ioseph, Ioachim, Annæ, Francisci, Bonauenturæ, Nicolai, & omnium Beatorum cælestis curiæ. *Scot. 4. sent. dist. 49. qu. 8. lit. A.*

Cap 22. 18. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*. Affertur hæc auctoritas ad ostendendum, quod de facto sacra Theologia nostra non est, nisi de his, quæ continentur in sacra Scriptura, & de his, quæ possunt elici ex ipsis, (cui ipse puluis humillimè adhæreo, & me, Opusculum hoc, ac omnia alia quæcumque reuerenter subijcio, & pro illa mortem sufferre polliceor. Amen.) *Scot. Prolog. sent. qu. 4. lit. Bb.*

FINIS.

INDEX BIBLICVS

Errata grauiora corriguntur.

Pag.21.vers.30. auctoritas adde ad. pag.35. v. 10. Angelo, lege Angelo malo. p.39. v.12. *lit. A.B.* leg. *lit.a. A.B.* p.43. v.29. *non potest.* leg. *non potest eas.* p.35.v.39 quo, leg. quod. p.48. v.14. vnius, leg. viuus. p.49.v.2. habeāt, leg. habeat. p.50. faceret, leg. placeret. ibid.v.16.cap.2.27.leg.cap.2.3. ibid.v.24. cap.3.9. leg. cap. 7. 9. p.52. v.26.forma, leg. formam. p.55.v.36.post, Hæc auctoritas, adde per translationē 70. Sic ponitur à Doctore: *Veniet omnis caro in conspectu meo adorare in Hierusalem, & egredietur, & vide-*

videbunt membra hominum, qui preuaricati sunt, & affertur. p. 69.v.31.*dist*.leg.*dist*.21. ibid.v.37.*quæst*. leg. *quæst*.15.p.72 v.2. *comtemnendi*,leg.*contemnendi*.p.73.v.19.institurus,leg.institutus. p.74.v.12.auersio,leg.auersio.p.75.post v.36. adde Iterum affertur eadem auctoritas ad probandum, quod anima rationalis est capax beatitudinis.Nam sicut Angeli sunt beatitudinis capaces, sic animę rationales.*Scot.4.sent.dist.49.qu.8.lit.A*.ibid.v.40 essę, leg.esse.p 77.v 4.sublata deliberationem,leg.deliberatione.p.78. post v.33.add. Iterum affertur eadem auctoritas ad probandam perpetuitatem beatitudinis,sicut perpetua est inferni pœna.*Scot. 4.sent.dist.49.qu.6.lit.A*. p.80.v.15.*sent.dist*.leg.*dist*.20. ibid.v.19. passionis,add.quia ille clamor validus fuit gratis, & præiuit horam mortis:At ex Doctore,clamor &c.p.81.v.15.MARCVS,leg. MARCI.ibid.v.23.Exzimorum,leg.Azimorum. p.82 v.19.cap.2. leg.cap.1.ibid.v.24. 5.*sent*.leg.4.*sent*.pag.83.v.3.in Lucæ Beda expositione,leg.Beda in Lucæ expositione.p.84.v.6.vtraquę,leg. vtraquè.p.86.v.22.potentiæ,leg.potentiæ generatiuæ.p.87.v.14. debeant consummatione,leg.debeant de consummatione.p.88. v.12.deditquæ,leg.deditquè.p.89.v.11.cõfiieri,leg. cõfiteri ibid. v.22.voluerant,leg.voluerũt.p.91.v.2.lopuens,leg.loquens. ibid. v.3.Orat.enim,leg.Erat enim.ibid.v.4.mẽtes,leg.montes. p.95. v.25.Et per hæc patet.leg.Et per *hæc* patet.p.100.v.25.Maxime, leg.Maximin.p.101.v.36.hæc enim,leg.hæ enim.p.102.v.14.veritate fidei,leg.veritatem fidei. ibid.v.25. circuminsessionem, leg. circumincessionem,p.103 v.1.permitti.leg.per mitti. ibid.v.39. *dist*.leg.*dist*.3.p.104.v 2.nam,leg.nam non.ibid.v.1.demissione, leg. de missione. ibid v.24. illa multa, add.quædam per Scripturam.p.106.v 10.quod fideles,leg.quod sicut fideles . p.107. v.7. add.sciendum,quod Sacramenta fluxerunt à latere Christi, non tanquam à causa meritoria, sed. p.112. v.38.vobis,leg verbis. p. 117.v.18.leg.indurat,explicatur.ibid.v.26.massa,leg.massa.p.118. v.8.deinda,leg.deinde.ibid.v.12. post *prædicante*, add. *quomodo prædicabunt*.p.119.v.15.dixit,leg.desit.ibid.v.16.cum in speciali inopia secundum eum magna reddendę, leg. cum in speciali secundum eã magna inopia reddendæ.p.121.v.16.Deus,leg.*Deos*. p.123.v.25.fit,leg.sit. p.125.v.39. improbatiua,leg.probatiua. p. 126.v.14.monentes,leg.monentur.p.128.v.16.quia ex substantia, leg.quia ex non substantia.p.129.v.17. 12.Post.leg.2.Poster.